





Cassis, quæ patet conspicillis nouenis, est Ducum & Procerum aliorum.



Cum interuallis tribus est aliorum, qui absque tituli prærogatiua, sunt ordinis equestris, atque auitæ nobilitatis.


Hæ porrò cassides oculatæ distinguuntur a casside cæca, seu clausa :



Quæ luminibus septem illustratur, est Marchionum & Comitum.



Casque cæca
meat ferreæ.



Cassis quinquies clathrata est eorum, quos Barones nominamus.

Quæ tribuitur Nobilibus, nulla præditis iurisdictione, seu potestate in alios : utpote qui pugnare, & capessere Ducum imperia; non imperare, aut aliorum gerere prouidentiam debent.

Et cum annulo Gygis, & cum galea Orci iustè viuendum esse; Plato aliquando dixit: miles enim cum ea galea, eoq; annulo credebatur ita videre, quos vellet; ut a nemine ipse videretur. Idcirco Mineruam Orci galea usam, ne à Marte, qui erat potentior, conspiceretur, Homerus finxit.

Lib. 10. de Rep.

Inter-

Interpretantur aliqui ; hanc Orci galeam esse cassidem communem & cæcam , qua instructus miles videt & non videtur ; & quam in prælijs prodesse interdum , Silius Italicus existimavit ; cum impediatur , quo minus prodat le militis pallor , & metus .

lib. 4.

*galeis abscondunt ora : malusq;
Ne sit spes hosti, velatur casside pallor,
Sedenim ex æquo præstat, & posteriore galea hac bonum militem, & galea illa priore bonum virum carere .*

Heaume carré, ou mis de front, en en face.



Ceterum cassis tesseraria Imperatoris, aut Regum, aut Sumorum Principum situ omnino aduersa statuetur . Munus quippe horum est , ex medio loco vniuersam prospectare aciem , agmina ordinare , hortari , iubere , vultum denique liberalem strenuis , ignavis iratum ostendere .

Aliorum cassides, aut versus dexteram obliquæ sint , aut versus læuam ; cum ad ipsos pertineat , alas exercitus ambas in prælijs dirigere . Dixi , aut versus dexteram obliquæ sint , aut versus læuam : neque enim assentior Marco Gilberto Deuarenio , arbitranti ; obliquas versus læuam statui cassides tesserarias dumtaxat eorum , quibus desit honor le-

Casque de côté, ou en pourfil.

Casque tournée à gauche.

gitimorum natalium . Etenim vtrūque per æquè decorum esse reor : atque est decorum , seu in dextero cornu exercitus , seu in læuo dimicare , militibusq. in alterutro præesse .

*De crista, vel iuba cassidis tesserariae .
Cap. LXXI.*



OROLLAM plumeam Polybius vocat eum galeæ ornatū , de quo iam sumus acturi , & quem Iustus Lipsius Latinè maluit reddere apicem plumeum , iuxta Plutarchi, Suidæ, Virgilij, Statij aliorumq. Scriptorum vinitas & frequentes locutiones . Virgilius,

De mil. Rom. lib. 3. Ital. 5.

Ardet apex capiti .

Statius autem ,

Et cono Ledæus apex .

Cum hoc ornatu primi in aciem Cares venerunt : & galeæ cristatæ atque comantes appellatæ sunt illæ , quæ istiusmodi apice, quasi crista vel coma, inornabantur .

Herod. in Cleo. Strabo lib. 2. 4. Flin. lib. 10.



Seu aptarentur illis auium plumæ :



Seu equorum iuba, aut etiam cauda. Est tamen frequentior apud Scriptores mentio aut sermo de plumis auium, deque iuba equorum; rarior de cauda: & si hanc Paridi Homerus in galeam immisit.

Sed color consideratur præcipuè, in his tesserarijs galeæ corymbis. Olim rubrum & nigrum agnouit in eis Polybius. *Adornentur galea, inquit, apice plumeo, pennisq; puniceis, aut nigris. Et rubrum quidem esse aptum sanguineo Marti, Iustus Lipsius arbitratur: idè Virgilius purpureos cristis iuuenes, & cristas rubentes appellat; atque has ait excipi forte etiam consueuisse. Vlos verò iisdem esse Annibalem Pœnum, Iubam Regem, Hispanos, ac dein Sultanos in Aegypto Syriaque, & porrò apud Thraces uti hodieq; milites Prætorianos, habetur pro re cõperta.*

Solùm de nigro colore, numquã se id legisse, fatetur Iustus Lipsius, quem utique *tristem* vocat, *(¶) Diti sacrum, ad cuius regnum ex militia migrant multi.* Interpretatur verò, gregariorum & viliorum gestamen fuisse cristas eas atras & fulcas; & si aquilarum pennæ forent, aut auium, quæ pugna, seu ominis causa, adhiberentur.

Ego aptas cumprimis ad terrendum hostem eas iudico; iisque instructam aciem describere videretur Valerius Flaccus; dum ita canit.

nam pectore ferro,

Argon. lib. 6.

Terribilesq; innexa iubas, ruit agmine nigro,

Latratuq; cohors,

Certè Arii Germaniæ populi, nigra scuta, tincta corpora, noctesq; illunes ad prælia elegerunt; ipsaq; formidine atque umbra feralis exercitus terrorem iniecerunt; *nullo hostium sustinente,* inquit Cornelius Tacitus, *nouum ac veluti infernum aspectum; nam primi, in omnibus prælijs, oculi vincuntur.*

De moribus Germanorum.

Præterea in cassidis apice plumeo, argentum aut album colorem, item aurum aut colorem croceum, reperio. Virgilius de Rege Ligurum.

Cuius olorina surgunt de vertice penna, Silius Italicus de Annibale

vibrant cui vertice conii,

Lib. 2.

Albētis niueæ, tremulo nutamine pēna.

Et Vegetius, Centuriones, ait, habuisse cristas argentatas, ut facilius agnoscerentur; etenim albus color plenus est lucis & dignitatis.

At lutei coloris, seu auri iubar, tum Ouidij eo hemistichio exprimitur;

Fulua iubis cassis;

Lib. 11.

tum clariùs versibus illis Silij Italici;

Auro virgatæ vestes, manicaq; rigebant

Lib. 4.

Ex auro, (¶) simili rutilabat crista metallo.

Nec auro litæ tantùm, sed omnino aureæ, eiusmodi plumatiles cristæ tribuuntur Panthesileæ Regiæ, cõtra Achillem pugnaturæ, à Q. Calabro. De Achillis verò casside Homerus,

merus, ut stella, inquit, lucebat cristata galea; circum autem mouebantur iuba aurea; quas Vulcanus posuerat, conum circum, frequentes.

Sed & pavonum pennæ, in conum galeæ sunt inductæ; deditque Claudianus eas Honorio suo.

Quod picturatas galeæ Iunonia cristas Ornet avis.

Cõgruebantq; Principi supremo; quia dignationis tantæ habita est olim regia hæc avis; ut palla Iouis, qua amiciebatur Deos in concilium vocaturus, diceretur intertexta ex pavonum pennis. Et utinam, quisquis est Princeps, oculos semper plurimos, magisque, quàm ipse Argus, vigiles haberet, (ex cuius Argi funere, plumas pavonis Poetæ oculatas fecerunt) ita enim consilia inirentur Reipublicæ, aut numquam, aut rarò pœnitenda.

Ceterùm apici plumeo pennarũ numerus olim præscribatur. Tres Polybius requirebat, eòque spectat frequens apud Scriptores mētio galeæ tripennis. Sic Eschilus Aiaci dedit cassidem *tricristem*. Apollonius Rhodius cassides appellavit *tripliciter cristatas*. Virgilius galeam *cristatam triplici iuba*, Stadius *cassidem niuea iuba ter scandēte tremulam* dixerunt.

Fuere interdum tamen *bifidæ*, interdū *quadripennes*; & adhiberi cœptæ sunt, *causa duplici*, inquit Polybius; *sive quòd vir maior, & animo quoque crescit; sive quòd hosti terrorem magis præbet*. Nempe accersita ea specie, miles crescebat ad cubiti magnitudinem; nam ea plumei apicis mensura erat.

Facit ad eum terrorem; quòd fin-

gatur Cupido abstinuisse manus à pudica & casta Pallade, ex solo metu galeæ eius comantis; qui Deos alios tamen haud metuërat. Et quòd fingatur præterea Venus voluisse, ut Paridi de pulchritudine iudicaturò Pallas ostenderet vultum inermem, exueretq. galeam: verebatur enim, ne solo eius concussu, iudicem tam imbellem perpauefaceret.

Ut veniam ad rem nostram propiùs; reor equidem; ex hoc vario instructu plumarum & iubarum, trās-latas fuisse, ad insignia familiarum, inumbrātes pennas; agnoscitq. originem eādē etiam Iustus Lipsius. Nā quod ait Marcus Gilbertus Deuarennius; ideo eas apponi; ut sublimem ad nubes, aut ad sidera euehant nostram & auorum gloriam, in stemmare gentilitio exprèsam; putem ingeniosiùs id multo, quàm veriùs ab eo affirmari.

Certum est interea, hos tesserariæ cassidis plumatiles corymbos pingi debere ijdem, & coloribus & metallis, quibus gentilitia icon illustratur delineaturque: seu bina fuerint, seu terna, seu plura eius lumina. Cum autem Itali, Hispani, Cermani, Britanni, Poloni, Belgæ ijs utantur: Gallos eis carere, scribit Philibertus Monetius. An soli deinde possint eisdem decorari, quicumque fuerint Equestris ordinis; ita quidem existimat Philibertus Campanile: at reipsa ornamenta isthæc sunt magis promiscui vltus, & in galeas quasque conferuntur.

Lucian. in Dial. Deorum.

De mil. Rom. l. 3. dial. 5.

Gallice bâchements pennaches plumage, lamb equins, feuillars, plumes eslendues, & ornoyantes qui couvrent nos armoiries.



Genus magis vsitatum, harum cristarum comantiū, imitatur laqueatas vittas, aut folia reflexa; nec modò galeam inornant istiusmodi cristæ; verùm insuper (quia in ea erectæ non ponuntur) parmulam ipsam extimā, pulchra sui diffusione ambiunt & circumdant: luditq. blandè in eis miscellaneum iubar, vt dixi, coloris ac metalli.



Vlti rariores sunt pennæ naturales, seu alariæ, minusq. præferunt ornamenti.



Sed sunt etiam, qui magis præter solitum, supra galeam, & per externam parmulae oram, gerant diffusam, ex vultu hominis coronati, promissam comam & barbam, loco corymborum. Quod videre est, in gentilitia icone LANDSCHADENIORVM ad Rhenum, & VITENHEIMORVM in Alsatia: cū illi in flaua scuti areola, nigram Davidis lyram; & in nigra hi eadem areola, læuum balteum aureum, pro stemmate suo gerant.

V. Appenisch.

Id. m.



Postremò illud etiam notare sit, par-
mulas gentilitias interdum pronas
atque inclinatas proponi; eoque situ
fortasse indicari exercitium belli:
sic enim brachio ianex, in acie ip-
sa ferri, atque in conflictu solent.
Cum id tamen fiet; non medio loco
supernè, sed in angulo sinistro cas-
sidem statuere oportebit.

*De varijs tesserariæ galeæ acroterijs .
Cap. LXXII.*



ONTENTI solis auium
plumis, etiam prisci
milites nò fuerunt; sed
fastigij loco addide-
runt galeæ integras
aves, iracundas præsertim & pugna-
ces. Strabo inter has picum recen-
suit, avem Marti sacrâ: posueruntq.
alii gallum avem in Palladis galea,
consentaneam vtiq. Deæ belli atq.
armorû. Quippe, vt Plinij vtar ver-
bis, *imperitat suo generi, et regnum
in quacumque est domo, exercet: idem
in victoria canit, seque ipse principem*

*testatur, superbo incessu, ardua cervi-
ce, cristis celsis, & veluti radiata co-
rona insignis.*

Quid referam, Athenis commif-
sos quotannis gallos pugiles? à Spar-
tanis verò pueros lege iussos, à con-
spectu nò digredi; sicubi pugnarent
in via: nisi prælio exacto? Quid,
inquam, hæc referam; siquidem ho-
dièque, in Regno magnæ Britannæ,
exhibetur frequenter admodum A-
lectriomachia?

Generosiores quosque alunt, &
diu cohibent in carcere obscuro; nec
alio nutriunt, quàm sicco pabulo:
vt id videlicet conferat ad iram,
quæ in his quoque paruis athleticis ef-
se cos fortitudinis cenetur. Ad pu-
gnam dein extrahunt vittatos, &
præfectis alis extremis, vt ijs quo-
que feriant; in cuspide pedum au-
tem infigunt argentum aut chaly-
bem, vt penetrent & laucient vali-
dius. Signum datur, eximitur vit-
ta, vident hostem, fit prælium, nec
ab eo cessatur, nisi postquam alter
exanimatus occubuerit.

Sæpenumero adoriantur sese im-
pressione tam acri, vt primo con-
gressu sit victoria. Si trahi rem con-
tingat; sciunt stratagemmate vti; &
nunc dimicant auersi, more Partho-
rum; vt seruent caput, vitæ arcem:
nunc simulant defectionem, iacentq.
quodammodo intermotui, aut se-
mineces, præsertim ab anhelitu. Sed
re ipsa secretò respirant interim; &
mox Antheo simillimi, atq. ex ter-
ræ contactu fortiores, aduersarium
redintegrato prælio sternunt: qui ta-
men securior, quàm tutior trium-
phum, quasi victor, accinebat. Dice-
res, leonem ipsum propè in gallo
tan-

Pausan, lib. 5.

K. 6.

tantos animos sentire; ideoq. formidare ac fugere ad cantum, imo ad classicum eius.

Sed redeo ad scutariae calsidis acroteria, ex quibus nimia me huius duelli, seu spectaculi voluptas aliquantulum abduxit. Quod si minimarum adhuc auium iræ non debeant contemni; addo coturnices, pariter dignas, quæ in apice galearum efferantur: nam in se inuicem, mares præsertim, peraque atque gallus, pugnant. Rex verò coturnicum tam est regia mente, ut captus ab aucupe, soleat inedia emori spon te potius, quàm cauea, quali carceris ignominiam, quippe libertati & regno natus, tolerare.

Sedenim quia par est maiora prosequi, Phœnix plumarum gloria Solis referens maiestatem, inornare potest Regum, & maximorum Ducum tesserarias calsidis.

Ferarum cornua Philippus Macedo & Pyrrhus Rex, alij capita terribilium belluarum, hiantesq. & immanes rictus earum in galeis tulerunt; quod de Iberis, de Albanis, de Amazonis Strabo; & Plutarchus de Cimbris atque Germanis memorat: sicut etiam Silius Italicus, inquit;

ore ferarum,

Et rictu horrificant galeas.

Neque môstris ijs Romani omninò caruerunt; nam Adriani Principis caput, etiam nunc apparet in numismatis, velatum ore horrifici leonis.

Imo colubris quoque eas calsidis muniuerunt, dederuntq. Dij exemplum; quia Semele draconibus Bacchum filium coronauit. Serpentes itaque Claudianus Afris; Statius fra,

tribus dimicantibus pro Regno Thebarum; Turno chimeram Virgilius; Sphingem Achilli Euripides, pro cultu & ornatu galeæ, tribuerunt.

Ex his auibus, colubris, feris, môstris, & cornibus eorum, putem nata esse acroteria calsidum symbolicarum: idq. confirmant ea Iusti Lipsij verba: *galea ipsa, qua scutis imponuntur familiarum, utraque dignata originem habet a mulisarijs istis cristis: mira enim lasciuia; & alius cornua sumebat, quasi ad impetendum & terrendum; ut de Pyrrho Rege in textu retuli.*

Et profectò notabilis admodum varietas spectatur, in his galearum symbolicarum fastigijs; quibus abundant potissimum calsidis nobilium Germanorum. Velle autem eas describere, aut referre; esset perinde, atque opus iam fermè absolutum redordiri: nam in galeis parmularum, totidem figurantur rerum formæ, quot recensuimus hæcenus in parmulis ipsis.

Posunt verò acroteria hæc variari, manente auita tessera, & sumi pro libitu; seu victoriæ, ac rei gestæ cum gloria sint momentum; seu sint argumentum initi consilij, de illustri re aliqua molienda.

De tiaris, causijs, & coronis parmula tessera. Cap. LXXIII.




E illo iam gentilitiæ tessera fastigio est agendum, quod vniuersam eius gloriam non cumulat modò, sed re ipsa insuper coronat.

Tiara


Lib. 3. de laud. Sibic. Lib. 1. The. Lib. 7. Æn. In Elez. A. 2.

De mil. Rom. Lib. 3. dialog. 5.

*Ulysses Aitro-
uandus.*



Tiara, triplici regio redimiculo inclyta & gemmata, cum Cruce aurea supernè, diffusisq; internè infulis, Cruce pariter signatis, est coronarium fastigium ROMANI PONTIFICIS, seu tesserae ICONIS eius. Supremum autem Antistitem, Iudicem, ac Legislatorem eum, coronæ illæ tres, renunciant Christiano Orbi: ac præterea subiiciuntur ei binæ decussatæ clauæ, ex auro argentoq; atque ambæ reuinctæ laciniola luminis cyanei: quia penès ipsam est potestas eadem cum Cælo *ligandi*, atque *solvendi*.




Causia ex cocineo panno, cum apensis vtrimque lororum senis mularijs, cancellatim implexis, fastigiū est AVGVSTORVM PATRVVM, qui sunt conscripti in Sacro Senatu Ecclesiæ Romanæ.

Galerus adsimilis, sed ex panno prasino, est symbolica coronis EPISCOPORVM. Petasus verò idem, tum ianthini, tum nigri coloris, est aliorum Romanæ Aulæ Præfulum: atquè hæ omnes causiæ lorum habent, vt subtrungi possint ad fauces ne videlicet labantur.



At coronis alia Antistitum sacrorū ,
est cidaris , cum præpendentibus in-
fulis ; eaq. in Episcoporum symboli-
cicis parmulis , omnino aduersa sta-
tuatur ; obliqua verò , in parmulis alio-
rum Antistitum , qui Cœnobiarchæ
sunt , cidarisque prærogatiuam ha-
bent .




Antequam ad Principum diadema-
ta progrediar , illud affirmare sit ;
haud me iam consecrari coronas im-

belles & marcidas ; hoc est floreas ,
maleq. olentes olim , vel dum olerēt
maxime . Res est comperta , indu-
ctas eas fuisse , vt meri vim reprime-
rent , atque vt mederentur conuiujs
sponte mollibus ac remulentis . Ex
qua re illis tantum infamix adhæsit ;
vt Ouidius dixerit :

Nulla coronata peraguntur seria frôte . Lib. 5. *Fastor.*
Iuuenalis verò vocauerit propterea
coronatum , & petulans , madidumq. *Satyr. 6.*

Tarentum ,


Masculas nimirum , inclytas , Heroi-
cas sectamur potiùs coronas : & in
harum censu primas obtinet Cæsa-
ris diadema .



Est verò lamina aurea , frontem am-
biens , ex qua prodeunt surculi flo-
rentes aurei , continentq. intùs cida-
rim aliquantulo depressiorem , ipsa
cidari Antistitum ; & cum hiatu à
fronte , non ab aure ; atque adeo cū
abside conuexa , instar hemicycli au-
rei , sustinente orbem & Crucem au-
ream . Gemmis deinde ab omni par-
te hoc Cæsareum diadema fulget ,
& circa ipsum pulchra diffusionem lu-
dunt

dūt lacinia aurea ac sinuosa. Atque hæc est Augustalis corona, in modum cidaris, ut dixi, ab summo disclusa, aureisq: tum globo, tum Cruce infusa: quæ corona in terris est index temporariae supremæ Maiestatis.

Insigne Regii capitis olim fuit tenniola linea, plerumque coloris albi; aliquando tamen melini, hoc est lutei flammeique, aliquando purpurei etiam coloris. Certè ideo Q. Curtius scripsit; Alexandrum degenerasse in mores Persarum, & purpureum diadema, quale habuerat Darius, capiti circumdedisse. Verùm hæc adeo simplex vitta sensim immutata est in bracteolam auream atque gemmatam.



Nunc est bractea quidem aurea, sed quam ouehunt in fastigium surculi seu absides, orbe vel Cruce infusi. Præterea ornant eam gemmæ, cum erumpentibus quernis frondibus, & dispersis medio loco grandioribus margaritis:

Peculiare Regum Gallia corona-

mentum à Philiberto Monerio ita describitur. *Francica scutarij fastigij corona ex auro solida est, supernè clusa, cameratis quatuor circuli quadrantibus, in communem globulum coeuntibus, operta, frequentibus illuminata gemmis, vulgarium flosculorum vice, tredecim conuestita lilijs, singulis eorum ad imos circuli quadrantes, binis ad singula quadrantium interualla, decimo tertio tetragono, & ceteris ampliori, ad summum coronæ apicem conspicuo. Alij tamen singula lilia collocant, in singulis absidum interuallis: alij flores eisdem aliter & numerant & disponunt.*


In praxi rei tesserae var. 6.34.




Ego ne errem, figuram eius hanc exscripsi; tum ex albo Auratorū Equitum Spiritus sancti, tum ex libro alio satis celebri, qui inscribitur; *Introductio ad notitiam rei tesserae.*




In Regno Galliae, Regum liberi coronam pro se, solis intexunt lilijs, prodeuntibus ex bracteola aurea, & gemmata.



At Regum consanguinei Principes ibidem bracteam auream, gemmeamque alternatim & lilijs & quaternis frondibus exornant. Ad Reges ut redeam, & ad eorum diademata;



Peculiare est perinde diadema Regum magnae Britanniae, eòq. ab alijs discrepat; quòd tum medio loco, tum ad latera decoretur Crucibus auratis, feratq. supremo loco, Cruce pariter infesum ac munitum orbem.



Archiducum fastigiaria coronis absidem habet, atque oram reductam ex vellere hermionico; grandibus verò vnionibus, & aurata Cruce insigni-

signitur, & accedit proximè ad diademata Regum.




Duces maximi, & qui compotes sunt amplæ ac liberæ ditionis, coronam auream gemmatam, querceis inumbrent folijs. Differt hæc verò ab Regia corona; quoniam superne clausa non est, neq. ad fastigiũ, supra quod ascendi non potest, eius surculi eunt.



At Magni Ethruriæ Duces singulari-

ter bracteam auream atq; gemmatã ferunt, echinis flexis in vtrumq. latus radiatam, (loco frondium quercæarum) in quorum medio vernat prominētq. grandius atque auratum lilium.




Prefectus Romanæ Urbis gerit pileum aureum & tæniatum, qui superne est integer ac teres, nõ diremptus aut disclusus; lacinijsq. insuper, vtrimque pendulis inferne est vittatus.


Duces illi minores, qui subsunt Principi alicui supremo, sunt diademati perinde, ac summi Duces. Hoc est vtuntur bractea geminata, atque munita quernis frondibus. Atque hæc utique hortantur indiscriminatim, & Reges, & Magnates quosque; vt studeant impensè Ciuum saluti. Certè corona querna spectatur frequenter, in numismatis ipsiusmet Augusti: efficax enim erat, ad promerendum populi amorem: in quo debet vnicè fundari cuiusvis boni Principis dominatio: & satis constat; olim dari eam consueuisse militi, qui in prælio ciuem seruasset. Atque eadem

dem corona esto eorum etiam, quos
Principes vocamus,



Comitum coronis est aurea tænia,
gemmis præfulgens, cum perpetua
serie vnionum magni modi, in sum-
mo illius ambitu.



Marchiones, hoc est ij, qui quoniã
olim præerant tutandis Imperij, Re-
gni, aut Prouinciæ finibus, meruerunt
eam honorificam appellationem, fa-
stigium coronariũ habent intextum
frondibus querceis quaternis, ita in
orbem distributis; vt ad quæuis inter-
ualla, sint supra bracteolam echini-
tres, & singuli præfixum gerant grã-
dius margaritum.




Aurea bracteola, præincta redimi-
culo ex insertis margaritis, est scuta-
ria coronis eorum, qui cum sint pri-
mores totius nobilitatis, Barones
idiomate vernaculo appellantur.



Quibus tamen tribuunt alij, vel spi-
ram tortilem ac teretem;

Vel



Vel vittam simplicem : quale olim erat Regum decus , seu coronamentum .

De cassidis scutaria numero , idoneaq; eius collocatione . Cap. LXXIV .



Dixi, galeam tesserariã, quando vna & solitaria est, aduersam statui debere, in Regum insignibus & maximorum Ducum : obliquam verò in insignibus aliorum, seu Procerũ, seu Nobilium . Superest, vt insinuem etiam, quonam pacto ea debeat collocari, quando erit multiplex .



Binæ si fuerint ex cassides, aspicient se mutuò ambæ, clathris aduersis .



Si ternæ ; eo situ erunt, vt quæ medio loco statuitur, spectetur omnino aduersa : atque in eam deinde aliæ binæ obtutum conuertere videantur .



Si quaternæ: tunc in se mutuò binæ
ac binæ sint conuersæ.



Si de mum senæ fuerint; quatuor earum sint eodem positu, atque esse debere diximus quaternas; ac pendeant eadem ratione aliæ binæ, quæ superlunt.

Ceterum omnes pingi solent, cum cristarum diffusione; suis cum acroterijs; & cum corona, vel saltem cū tortili redimiculo: si alterutro inornari cassides cuiusvis auitæ promeruerint.



Si quinquæ; tres earum ternas, quas modo descripsimus, imitentur; & pendulæ aliæ duæ, sint inuicem aduersæ.

Est porro generatim in eis numerus; quando aut in semisses, aut in retrantes. aut in nidulos alueoli plures tessere dirimuntur: que nad nodum fert exigitq; affinitatum aut ditionum varietas. Nempe bipartitæ parmulæ binas cassides, cum scutulo insitio, aut diuisæ in trientes, ternas; quaternas item quadripartitæ; quinas cum eo insuper scutulo; & senas lectæ plurifariam admittunt.

Quamquam interdum parmula gentilitia est vnus modi, nullumq; præfert area eius discrimen, nulla scinditur partitione; & nihilominus cassides ei adponuntur binæ, aut plures etiam: quæ omnia occurrent passim

sim in tesseris symbolicis Nobilium Germanorum .

De adscriptis , tessera gentilitia, aut epigraphe priuata , aut clamore militari . Cap. LXXV.



PROGRAMMA super-scribitur interdum acroterijs gētilitiarum parmularum , & vel continet consilium, de re atdua laudabiliq. molienda, sententiamq. Heroe dignam; vel tessera est, quæ dari consueuerit Legionibus, quando instat prælium; vt in pugna tumultu, confusis & perturbatis ordinibus, internoscere militem proprium ab hoste liceat. Programma primum ex his appellauit, in Capitis huius titulo, priuatâ epigraphem; alterum verò, clamorem militarem dixi; & is proprius videtur Imperatorum, Regum, ac Ducû maximorum, quorum est Legiones conscribere, ac ducere ad bellicas expeditiones: illa & Principum eorûdem supremorum etiam, inter togæ ac pacis decora, & Nobilium quorumcumque ex æquo esse ornamentum potest.

Porrò huius vtriusque lemmatis exempla suppetent satis multa, legenti honorarias tesseras Equitum velleris aurei, quas refert Ioannes Iacobus Chiffletius.

Sed & Marcus Gilbertus Deuarennius, tum de militari clamore distinctè agit, tum de priuata epigraphe. Ego de hac peculiariter iustum Volumen scripsi, cui titulus est, SYMBOLA HEROICA; de qua etiã scripserunt ante me Itali Scriptores plu-

rimi: vt proinde repetere eadem, atque actû agere iam non oporteat.

Insinuauerim tamen, haud me in ea Marci Gilberti Deuarennij sententia esse; vt putem, has gentilitiarum parmularum epigraphes confundi debere, cum lemmatis symbolorum Heroicorum. Etenim hæc cum figura ipsa congruunt necessario semper, & conspirant pulchrè in vnus sententiæ harmoniã. At programma tesserarium parmularû nostrarum expers esse potest huius harmoniæ, atque ad ipsius areæ typos gentilitios nequaquam pertinere.

Aliquando (fateor enim) id ita cōtingere videtur; vt nimitum consonent typi & lemma: sic familia COMINCE, quæ in scuti alueolo puniceo, amigdalas quatuor argenteo-

Marc. Gilbertus.

quoniã hæ Gallico idiomate *amendes* vocantur, epigraphem eis adscribit, cuius est hæc sententia *Emendamus nos credendo*. Ita videlicet præci huius familiæ Conditores, ad Christianam fidem primû vocati, se posterorq. suos reddere meliores, ea parthenesi, prooptarunt. RAIMUNDI perinde in Guasconia, cum sphaeram argenteam, in parmula cinnabari expicta, pro stemmate habebant; circumscribunt ei aureis characteribus *Nulla vis mundi me immutabit*.

En croyans nous amendons.

Marcus Gilbert.

Rien du monde ne me changera.

KKKK cuius

Gallicè Devise & cry de guerre.

Villa'n' fairs reproche.

cuius utique diuersa sit, sed ingeniosa tamen, atque Heroica significatio.

Quæ cum ita sint; censeo has nostras tesserarias epigraphes potius ex genere illarum esse, quæ a figurarum consortio immunes sunt, ac solitariæ usurpantur: cuiusmodi epigraphes nonnullas, selectas ex earum recensione vberiore, à Iacobo Tipotio edita, refero ego in Symbolis meis Heroicis.

Ad clamorem militarem quod spectat; vel eo exprimitur vitata belli tessera, & propria alicuius aut Regis, aut Ducis; cuiusmodi fuit, pia imploratio, nunc S. Dionysij, in tessera Clodouei; nunc S. Andrea; in tessera Ducum Burgundiæ: vel saltem exprimitur eo peculiaris tessera, in memorabili prælio aliquo, legionibus data; ut eius apud posteros maneat recordatio.

*Montioy: Saint Denis.
Montioy: Saint Audebert.*

*De figuris externis, circa insigniores quasque gentilitias parmu-
las constitutis.*

Cap. LXXVI.




ABENT præterea, præsertim magni Principes, circa symbola sua scutaria eos, quos vocat Philibertus Mone-

tius, Atlantes ac Telamones, & quos ego putem Principum eorundem armigeros referre. Sunt certè grandiores figuræ, veluti sustentantes effertentelq. insignia eorum: quemadmodum significare videtur etiam ipsa locutio Feccialium.

Gallicè supports.




Exemplo sint, aut Cælestes Genij, qui Regiam tesseram REGVM GALLIAE circumstant.



Aut Cerui aurei alati, & numelati.

Aut




Aur etiam Hystrices atq; ex quibus illos CAROLVS VII. has verò LVDOVICVS XII. Reges Gallie adamarunt.




Leo & Monoceros sunt circa schema gentilitium REGVM SCOTORVM.



Leo simul & Draco; hoc est alter ferarum rex, & alter rex colubrorum, continent stemma Regum magna Britanniae.




Par deinde Syrenarum scutum attinet Regni Parthenopaei.



Andreas de Ryet

Aquilę autem furuę, ac torquatę fer-
to, ex globulis precarijs aureis, cum
pendula ex eis insuper Cruce bifida
eiusdem metalli, comitantur clypeũ
symbolicum PRINCIPVM LOTHARIN-
GIAE,

Sed aliquando videas hos Atlan-
tes, & has feras, veluti alijs intermi-
nari vultu irato, ac signa sui Principi-
pis custodire.




Ita leones duo aurei, anticis pedibus

insuper sustinentes Mediceorũ Prin-
cipum nobiles globos, reflexa cerui-
ce spectantur, atque ore prorsũ mi-
naci.

Quin imò propulsaturi iniuriam,
quodammodo armantur, & capita
induunt in cassides ipsas tesserarum.
Ex quo sunt genere,



Tum Atlantes DVCIS POMERANI. *VVappenbüch.*





Tum leones DVCIS NEOBURGI.

Interdum singulares icones id *idem*,
obeunt

obeunt muneris. Ita miles cataphra-
ctus, cum hasta & bipenni, indutus
pariter galeam comantem, tessera-
riæ parmulae HOHENEGRIORVM
in Austria tutelam gerit.

TVM VVARTENBERGIORVM in
Imperio, eamq. complecti agmine
caudæ, quam etiam extremam re-
mordet: cum in area eius tessera, ab
summo diremptæ, aurum ad dex-
teram, & atramentum ad laeuam sit
diffusum.

VVappenbuch.




Alphös. Ciaccon.
Et lapides sepul-
crales Roma ab
Ann. MCCC.

Et leo, arreptam ab omni parte par-
mulam IACOBACIORVM Romæ, aduer-
sus iniuriam, indignanti similis, tue-
tur.

Adhuc tamen cenlebitur magis
inuitatum; parmula cyaneam, inu-
stam tribus ac denis argenteis num-
mis Byzantinis, mordicus teneri, ge-
mino leonum ore, seu capite quasi
absilso: quod stemma est familiae
PAZES in Hispania.

M. S. ex museo
Romano.

De explicitatis circa tesseras gentilitias
vexillis, Cap. LXXVII.




Rarius videri poterit; draconem cir-
cumuolui tesserae gentilitiae COMI-




VNT quaedam etiam
inclyte imprimis, ac
prope triumpales par-
mule, que signa ho-
stibus direpta, secum
ad famam, in ætates conlequentes fe-
runt; utique posteros adhortaturæ, ad
similem Auorum fortitudinem; aut
alioquin perpetuè exprobraturæ;
imbelles nepotes insignia alieni
trium-

triumphi immerito vsurpare.




Hęc igitur vexilla, aut de Thracibus;




Aut de Mauris, habet familię aliquot primarię in Hispania: quarum stemmata eis exornata, refert Alphonsus Lopez de Haro.

In Nobiliario Genealogico.




Aut de rebellibus Sectarijs,



Nec in ambitu dumtaxat parmularum, disponuntur ea signa militaria; sed interdum etiam superne circumvolitant, pulchro honorabilique sane spectaculo.

Porro



Porro isthæc decora COLVMNIS Romæ peperit Marcus Antonius, Heros sanè fortissimus, commissa ad Nautopactum memorabili pugna, & prorsus retusis cornibus Lunę Othomanicæ: cum ea videlicet, comparata ingenti classe, totū implere Orbem, atque in Europam etiam dominari latè, meditabatur. Ceterùm ferunt COLVMNI, præter signa de triumphatis Thracibus, supernè PII V. Sanctissimi Pontificis, & PHILIPPI II. Regis Hispaniarū prudentissimi, ac religiosissimi vexilla: quia eorū potissimū auspicijs, atque opibus Marcus Antonius, aduersus Othomanorum tyrannidem, dimicavit.

CAESARINI præterea, explicant circa familiæ tesseram, purpurata vexilla, quaterna & quaterna, inscripta nominis Romani aureis characteribus: quia sunt vexilliferi SENATUS POPVLLOVE ROMANI.



Ad hæc TORQVATVS DE COMITIVS, Dux belli inclytus ac strenuus, à FERDINANDO II. cui diù militavit, in nuperis simultatibus Imperij, tesserae suæ promeruit, præter signa equitū, ac pe-

ac peditum vexilla, quæ indeptus est fortissimè dimicando, etiã aenea bellica tormenta, functus videlicet præfectura rei tormentariæ, & donatus etiam à Cæsare ideo tormentis duobus: quæ ille iussit deportari in Italiam, gloriæ monumentum.



M. S. ex Museis Romanis.


Postremò præter vexilla, etiam spectare sit ancoras quaternas, in gentilitia parmula BONIFACEORVM in Hispania. Et fuerit fortasse aliquis eorum Architalassus, in celebri maritima expeditione, cuius recordationem & famam firmare ancoris libuerit; ne spatio temporum vaneſceret, patereturq. naufragium obliuionis.

*Militares aliquot Cruces Ordinum Equestrium recensentur.
Cap. LXXVIII.*



VONIAM hæ pariter trãſferri solent ad gentilitias tesseras, & ad earum ornamenta; libet aliquas, præcipuas

videlicet, commemorare, iuxta priscam, aut recentem earum institutionem.




Cruz prasina Sancti Lazari fundatorem suum agnoscit, ac veneratur DIVVM BASILIVM Magnum, Cæsareæ Antistitem; quando is nimirum erexit Sancti Lazari nosocomium. Quia tamen, propter iniurias assiduas Barbarorum, fermè hic Ordo desierat; restitutus est à Pio IV. Pontifice; & à Gregorio XIII. auctus fuit eo insuper honore; vt Supremum Præsidentem haberet deinceps EMMANVELEM PHILIBERTVM Allobrogum Ducem, ac Duces alios illius successores. Porro idem EMMANVEL PHILIBERTVS, celebratis Niceæ Comitijſ Equitũ Ordinis huius, nempe Sancti Lazari, adiunxit ei Ordinem Sancti Mauritij; Crucesq. ambas; hoc est prasinam alterã, & alteram candidam, sed simul floriferam, inuicem inseruit.




Cruz candida militiæ Hierosolymitanæ, aut à IOANNE HIRCANO Machabeo, aut à IOANNE Patriarcha illo Alexandrino, cui benignitas in erogandis pijs largitionibus, fecit cognomen ELEEMOSYNARI; aut à GODFRIDO BULLIONE, Heroe maximo instituta fuisse perhibetur. Fuit verò consilium horum Equitū, peregrinis aduentibus facta monumenta Hierosolymitana, hospitale officiū præstare; & aduersus latrocinia tutari itinera eorum. Sed eos Cruce inornasse, BALDWINVM REGEM eius nominis Primum, scribit Marcus Gilbertus Deuarennius: & si multo ante in ijs obsequijs ibi, summa simul fortitudine, simul charitate fuerant commorati.

Hi Equites, post afflictas opes Christianorum in Palæstina Syriaq. Clemente V. Pontifice sedente, Rhodum concessere: pulsi Hierosolyma à Saladino, ac dein etiam Ptolemaide, à Tyranno Aegypti, seu Soldano, quem vocant: nam in eam se Urbem receperant, cum Rege, & Patriarcha. Demum Rhodo etiam exacti, ex Solimani Tyranni potentia, sedente altero Clemente eius nominis VII. Melitam immigrauerunt.




Cruz nigra est Ordinis Teutonici, à CAELESTINO III. confirmati; quo tempore interfuit boni communis, vt contra hostes nominis Christiani Heroes multos pietas armaret. Hi Equites perinde, tum Hierosolyma, tum Ptolemaide coacti solum vertere, in Germania sedem habuerunt à FRIDERICO CAESARE; qui eis Prouinciam Prussia, a ritibus nostræ religionis illa tempestate alienam, Poloniq. ideo grauem, assignauit.



Cruz rubra, ensis specie, in Hispania est Equitum S. Iacobi. Nec ab ætate ac Regno, aut ALPHONSI CASTI Regis, aut REGIS RAMIRI (cui in prælio ad Calugium cõmiles e Cælo adfuit Sanctus Iacobus, candentibus armis, vexillo & Cruce conspicuus) sed a tempore ALPHONSI IV. Regis, repetere sit originē eius.


LIII Hic

Hic nimirum ALPHONSVS REX, potitus victoria insigni, ad Nauas Tolofanas, decreuit vt propterea, in Regno Castellæ, deinceps festū Sanctæ Crucis ritu solemni celebraretur. Tunc verò aliquot viri militares, non genere minùs, quàm virtute illustres, pro Christianis aduersùs Mauros, semet suaq. opulenta patrimonia deuouerunt. Atque adeo ausi sunt adoriri hostes etiam celsâtes; nedum aduenientes opperiri, ac propulsare: vt prospera & tuta essent itinera peregrinorum, qui ad Sancti Iacobi Sacrarium proficiscebantur. Cuius Diui tutelaris tesseram perantiquam, hoc est marinam conchulam, Cruci suæ ijdem Equites adiunxerunt.




Crux alia, perinde rubra, sed ad scapos singulos florifera, seu desinens in lilium, est Calatraux item in Hispania. Porrò eam Crucem Equitibus huius militiæ consecrauit BENEDICTVS XIII. cum ipsum Ordinem diplomate Pontificio ALEXANDER III. confirmasset, non ita multo ante inchoatum Calatraux, causa munienti oppidum illud, aduersùs infestas Maurorum irruptiones. Præterea hi Equites compedes duas, quas Hispani *Trauas* nominant, congruè

ad vocabulum Oppidi adijciunt, aut Cruci antedictæ, aut vexillo militiæ suæ.



Crux adsimilis, sed prasina, item in Hispania, est Alcantaræ; nempe Oppidi ad Tagum, vbi Equites ea signati larem fixerunt: postquam illud Mauris ereptum eisdem Equitibus concessit ALPHONSVS VIII. Rex; munimentum videlicet, aduersùm impressiones Barbarorum.



Crux rubra, DIVO STEPHANO Pontifici & Martyri, dicata est à COSMO MAGNO ETHRVRIÆ DVCE; vt maneret recordatio victoriæ, quam ipso die anniuersario celebritatis eius, ad Marcianū est consequutus; & cuius vtique beneficio suas maximè opes, suumq. in Ethruria principatum stabiluit.

Hæ aliq. honoratissimæ militares Cruces, cum ornant tesserarias parmulas; vel in coronide scutaria delineantur (quæ areæ suprema pars accipere solet signa socialia) vel substernuntur parmulae vniuersæ; ita vt soli earum apices, aut scapi extremi, ad latera quatuor extare videantur.


De insignibus Equitum Torquatorum.
 Cap. LXXIX.



OCOR iam ad Heroum clariora ea decora, quæ valuuli scutarij oram ambiunt penitus, suoq. honore circumdant. In censu verò a me ineundo primas dabit perinde Ordinis cuiusvis ætas, seu institutio.

EDWARDVS III, Rex Britannia; victoriam indeptus, tum de Gallis, capto Ioanne Rege, tum de Scotis capto Rege Dauide, conscripsit ornatissimam miliriam Equitum Auratorum, quibus est nomen à periscelide, seu fascia, quæ vsui est cruribus substringendis: nam eam proposuisse exercitui tesseram, antequam conferret signa, perhibetur,

Sed alij potiùs, lapsam in chorea Ioannæ Salisburiensi, Principi faminae cruralem institam, credunt consilium dedisse EDUARDO REGI; vt in præmium dixerim, an solatium pudoris? eam à sexu molli atque imbelli transferret ad Heroes.



Ceterum ij Equites ferunt fasciam cyaneam, innexam aurea fibula, eaque cruris sinistri internodia circumuoluunt. Inscribunt verò eandem Gallico lemmate, cuius est hæc sententia: *illi malè sit, qui malè cogitat.*




Monile ipsorum Equitum fit ex contextu plurium fasciolarum simul, ac rosarum, quæ semi-albæ sunt, ac semi-puniceæ: fueruntq. additæ eæ

LIII 2 rosæ

rosę discolorēs , post coniugiū Henrici VII. Regis , ex familia Lancastrensi , cum Isabella Regina ex familia Eboracensi : nā huius utriusq. regię stirpis symbolū antea fuerant illę dissimiles rosę . Pendet ex monili demum aurea icuncula SANCTI GEORGI ; quoniam is est Ordinis totius Pręses ac Diuus tutelarıs .



AMADEVS II. , Comes Allobrogū , instituit Ordinem Equitum Virginis Deiparę , salutatę a sydereo Internuncio . Proinde iconem eius aureā suspendunt ex torque , qui componitur ex numellulis Alani canis , exaratis acclamatione , dicta olim AMADEO MAGNO : quando videlicet *fortitudo eius Rhodum tenuit* . Numellulę ipsę , loris cancellatim implexis , mutuò vinciuntur .




PHILIPPVS BONVS Burgundię Dux , & Princeps dignusea tam amabili appellatione , dum coniugem duceret Elisabetham Ioannis Lusitanię Regis filiam , Brugis Aurei velleris sanę inclytum Ordinem instituit . Ad Iasonis ne fabulam , aduectosq. Argonautas , cum classe in Colchida , spe Chriřomalli ; an ad Gedeonis vellus , nunc irroratum de Cęlo , & nunc aridum , referre id maluerit ; haud facilię sit definire . Attamen veritatem Historię sacrę ei placuisse potius ; suadere videantur aulea ipsamet Ordinis peruetusta : quę in sacello Principum Belgij quotannis explicantur ; dum celebritas est SANCTI ANDREAE Apostoli ac Patroni : sola enim Gedeonis memorabili pugna inornantur .

Torquem huius Ordinis igniaria construunt , micantesq. ex illis stricturę , seu scintillulę , cum appendice aurea Phryxęę ouis . Cui adscriptum non nemo , *Pretium non vile laboris ; igniarijs autem , singillatim pro chalybe ; Ante ferit , quām flamma miet.*



In Scotiæ Regno est Equestris Ordo, qui torquem gerit, ex carduorum contextu, cum ea epigraphe; *Nemo me impunè latefit*. Atque hic etiam Ordo est sacer. Diuo ANDREAE APOSTOLO, Regni Patrono; ab eo nimirum tempore; cū visa est eius Crux è nubibus confulgere, dum prælium erat, Scotisq. victoriæ omen dedit.


elephantis, vastis ac turritis belluis, tum ex calcaribus aut molulis eorū habet, cum Virginis Deiparæ aurata icone, quæ radios euibrat Solis instar, & appendicula insuper, in qua clavi tres situ suo referunt Pythagoræ elementum.



In Gothorum Regno est geminus Equitum Ordo: atque in alterius monili Cælestes genij sunt & Cruces bifidæ.



Ordo SANCTAE MARIAE, in Regno Cimbrorum, torquem, tum ex




Moni-

Monile alterum autem acinaces habet, in acie cruentos; lorisq. aut balteis in gyram astringitur.





LUDOVICVS XI. Galliarum Rex Ordinem instituit Equitum SANCTI MICHAELIS; inductus veneratione, qua CAROLVS VII. Parens eius coeperat ferri, erga eundem Principem ac Ducem Cælestium Legionū: quando is nimirum, ad pontem Aurelianensem, visus est adesse, propugnare Urbem, ac Britannos indidem abigere.

Torquem huius Ordinis conficiunt conchulæ aureæ, vinctæ laciniosis; cū appensa bulla item aurea, in qua SANCTI MICHAELIS, & protriti ab eo Stygij serpentis icones representantur, Sed & adijcitur etiam hoc lemma: *Immensi tremor Oceani.*



HENRICVS III. perinde Galliarum Rex, Equestrem Ordinem nobilissimū SANCTI SPIRITVS fundavit: tum vt Regni Proceres, noua ea prerogatiua honoris sibi magis obstringeret; tum vt maneret recordatio; ipsum in Festo Pentecostes, & appellatum antea ad externū Poloniae Regnum; & reuocatum deinde, ad Regnum domesticum atque hereditarium Galliarum.

Monile huius Ordinis ab eodem HENRICO III. lilia & interpositum nominis eius primum elementū acceperat: erantq. symbola Regis & Regni, quibus Equites ipsi dicerent militiæ sacramentū. HENRICVS IV. deinde intexit quoque hastas, galeas, & flammulas, indices victoriæ, seu triumphī. Ex monili autem pendet aurea Crux; columbuiaq. deorsum, explicatis alis volitans, in Cruce spectatur.



VINCENTIVS GONZAGA Mantuæ Dux, cum Francisco eius filio nuptui daretur Margarita, filia Caroli EMMANVELIS DVOCIS Allobrogum, crexit Ordinem Equitum Sanguinis sacrosancti, qui ex CHRISTO DOMINO in Cruce saucio manavit, & cuius vasculum Mantuæ colitur veneratione summa.

Torquem huius Ordinis componunt, partim aureæ virgæ, igni superpositæ, partim laminæ aureæ, inscriptæ hac epigraphe; *Domine probasti*. Pendet verò ex torque bulla aurea, & in ea Sanguinis eiusdem sanctissimi Hierotheca; cui Cælestes genii duo adstant venerabundi, pignusq. illud salutis humanæ, supplices adorant.

Postremò adiciam obiter cingulum laqueatum, quod in se mutuò intertutum atque implexum, circumponunt puluillo suo tesserario, illustriores Matronæ. Earum enim gestamen est hoc loreum stemma; & fuit inductum ab ANNA PRINCIPLE AREMORICORVM; siue vt indicium esset viduitatis ipsius, sublato e viuis Coniuge CAROLO VIII. Rege: siue (quod alij interpretantur) ob Sancti Francisci cultum & venerationem.

Gallia cordeliere


Sed & antea Principes fœminæ tulerât cinctum auratum, veluti pudicitia tesseram: postmodum intermisere: quoniam esse promiscui vsus, atque vsurpari à matronis etiã non adeo principalis notæ, sensim cœpit.

De palliolo ; & tentorio inumbrante gentilitias tesseras maximorum Principum . Cap. LXXX.




T constat , quanto cum apparatu gloriæ , soleant tesserariæ icones Caesaris, Regum ac Principum supremorum tegi , atque inumbrari : mihi iam superest agendum , de honoraria clamyde seu umbella primùm , ac deinde tentorio earum etiam .

Clamydem , seu umbellam voco palliolum , quo circumvoluitur icon




gentilia dumtaxat Ducum , & Principum supremorum . Est verò sine cautia , seu petalo laxiore supernè ,

& vel in parmula ipsa recta, vel in ea item obliqua, pronaq. aptari,




& collocari potest. Non hic tamen loquor, de conopseo illo



insitio, quod significat supremam belli atque armorum præfecturam,


concessam ijs Ducibus, qui castris praesunt Pontificij principatus. Id enim insititium appellavi, quia intra alveolum ipsum parmulae gentilitiae delineatur: atque est vexillum aureum, ex hasta coccinea pendulum, cum clavis aurea argenteaq. in decussim traiectis, loroq. illigatis. Quod vexillum iam est in tessera THADAEI BARBERINI Urbis Romae & copiarum Pontificiarum supremi Praefecti, cum adiuncta ANNAE COLUMNAE coniugis icone gentilitia.



Gallicè Pavillon.

Quod verò attinet ad tentoriū ipsum; id petaso laxiore, ut dixi, tegitur supernè, cum siparijs vndique diffusis, & patefactis; ut intus tessera regi & contineri eo possit. Atque hoc tentorium solis Monarchis, nempè aut Cæsari, aut Regibus, tribui solet.

Exem-



Exemplo sit Augustale FERDINANDI CAESARIS, cum tessera AVSTRIACA, in pectore Aquilæ furuæ, bicipitis, & torquatuæ monili Burgundico. Cui adstant, pro eiusdem supremi Prætorij maiestate, Armigeri, seu Feciales tum in sago, tum in vexillo insigniti tessera eadem AVSTRIACORVM.

An, & in quo sensu apta, & consentanea esse debeant figura gentilium symbolorum i Cap. LXXXI.

PAR omnino videtur, leges nonnullas Fecialium expendere, circa congruam rei nostræ tesserarum figurationem.

Hoc itaque agam in præsentia: quandoquidem omnem eius ornatum exegi, internum videlicet externumque.

Ante omnia illud statuere sit; religiosius ne sectari oporteat ingenium ipsum-met, veramque naturam figu-

rarum illarum, quas typis hisce tesserarum repræsentamus? ita ut piaculum videatur, ab earum vel forma, vel colore interdum abire.

Primum genuinum in eis colorem nemo requirat; in quibus utique dos & virtus potius spectari debet. Est verò inducta colorum varietas; vel quia Partium, seu factionum symbola ij exprimebant; dum hæc nativos, alienos illæ colores sectarentur: vel quia ad Principum schema, seu argumentum figuræ eadem, pulchra & mira varietate, pingebantur.

Sedenim difficultas maior est; an

M m m m 3 liceat

liceat ipsis affingere mores nō suos; ita vt consentaneæ nō sint veræ nobilitati, quæ à proprio genio abalienantur. Nempe si ex nubibus prodiret taurus; piscarentur cerui; saginarentur pomis accipitres; ab ouicula leo lactaretur; aut ab agno discerperetur lupus.

Nihilominus prohibere omnino ista, quis tandem audeat, & non simul metuat; ne in ius propterea sit vocandus, ad Cæsaris tribunal, quippe reus Maiestatis? Quid enim? Aquila Imperij biceps, qualem sponte haud natura progenerat, an ideo debet expungi ex tessera illius, qui summus Principum est, ac fons totius nobilitatis?

Multa etiam sæpenumero admiranda contigerunt, & insignia mox euaserunt nobilissimarum familiarū. Exemplo sit Romæ pro Cincinnatis coma; post quam eorum aliquis circatus & capillatus natus est.

Quid si Nicippus, ex cuius grege ouicula enixa est leonem; deditque omen Regni, ipsi tum agenti in re priuata. Quid si, inquam, Nicippus ouem eandem accepisset pro symbolo; vt insinuarct; Regni potentiam, quæ interdum ferox est leonis instar, mitigandam esse quadam ouis mansuetudine ac lenitate?

Albertus Magnus.

Est qui scribat, vitulum aliquando effulum fuisse ex nubibus: quid si taurum etiā præcipitem ex nubibus turbo dedisset; an ideo ille seu vitulus, seu taurus pro gentili tessera displiceret? Certè hunc, pro schemate tuo, Alexienses olim figurarunt.

Barthol. Cassanus.

Vt accipiter pomum, vt piscem ceruus, vt agnus lupum edat; tam est alienum, quàm vt equus edat ca-

pram, seu veruecem. Atqui Arabes carnibus caprillis, sole siccatis, & concisis in frustra, suos nutriunt equos; quia fœnum steriles eorum arenæ non producant.

Dux Radziuilus in Historia sua p. regnationis.

Vt equis verò carnes obsonantibus, addam propinquantem vino asinum: fuit Romæ, qui vinum sorberet ex patera tam auidè, vt non pateretur ex ea guttulā extillare. Nec erat profectò iniquè mentis hic asellus: quoniam appetebat merum dūtaxat: & dilutum aqua, illicò gnarus fraudis, respuebat atque abominabatur.

Nescimus, ad quid fames ac ventris ira possent ouem, agnum, coruum, & accipitrem adigere. Naturæ etiam ostenta & prodigia adeo non exhorremus; vt si quæ nascuntur præter solitum rara, ea impensius admiremur. Cur igitur ista facessere omnino, ex gentilitijs tesseris, & velimus & iubeamus?

An figura tendere, aut aspiciere dextrorsum necessario debeant.

Cap. LXXXII.



V M Fezialium pleriq; iubeāt; tum aues, tum feras haud pingi aspectu pleno, sed intuitū vibrare obliquè, vnūque ostendere oculum atque vnam aurem: operæpretium sit discernere; dextrorsum verti, an sinistrorsum eas oporteat.

Philibertus Monetius, *scutariae alites vniuersæ*, inquit, *in dextrum scuti latus spectant: nisi quæ bicipites sunt, aut aduersis dorsis statuuntur: quarum alterum caput necessario, in laeuum par-*

in praxi rei test. scutaria cap. 29.

m.c.

mae latus vergit :

Alibi magis generatim dixerat : *Omne quadrupes, aut volatile animal, scutario in solo expressum, ad scuti dexterum latus conuersam frontem habet : quoniamque caput ei obliquè depictum est, alterum modò oculum, & aurem alteram, spectandam prabet.* Pardum tamen eximit ab lege hac generali : nam illi vnice aduersa frons & aperta figuratur .

Sed multo ante Bartolus clarissimus Iure-consultus, hac super re, aut legem tulit, aut sententiam dixit enimuero seuetam & grauem. Quia pronunciauit ; cum vitio esse, ac nobilitati officere gentilitias tesserarum illas ; in quibus animantes, seu cicures, seu immites, deprehendantur versùs laeuam prospectare .

Bartolo deinde suffragatur Bartholomæus Charsaneus : imò is animantes ita pictas, monstro similes esse arbitratur ; turpiterq. , veluti à conflictu, retrocedere .

Auctoritas Viri, qui natus videtur ad oracula omnis iuris humani, fateor, traxerat me in opinionem eandem : pro qua videlicet mecum ipse in hunc modum ratiocinabar . Animantes, in gentilitijs parmulis, symbolicae sunt, & habent virtutis significationem . Qui enim leonem in eis, aut aquilam exarauerit ; is eo schemate profitetur ; se ad prælium contra hostes venire, leonis instar, aduersùs imbelles feras ; aut instar aquilæ, aduersùs imbelles aues .

Assumebam ideò ; dextrorsùm figuræ cuius eundem esse. Siquidem, quoties laeuam clypeo munitam hosti obiectamus dimicãdo ; toties eueniet etiam, vt hostem eundem leo-

spectare, ac terrere videatur . Secùs si ad laeuam vergeret ; in ipsis fortitudinis nostræ symbolis, retrocedere, ac terga dare iudicaremur .

Nihilominus quia familiæ aliquot nobilissimæ, diuersarum etiam nationum, conuertunt sinistrorsum pariter, in tesseris suis, icones auium & ferarum ; posse indiscriminatim eas pingi, equidem censeo, versùs parmularum, aut dexterum, aut sinistrum latus, citra omnem vitij aut iustæ censuræ metum . Consuetudo nimirum, in his potissimum rebus, est altera lex : cui consentanea quæ fuerint ; peccare in artem illa immeritò iudicabuntur . Atque hæc dixerim de typis, exaratis in clypeo tesserario dumtaxat : est enim aliter sentiendum, si alibi exarentur ,

Ita in sago militis, à pectore quidem figura versùs dexteram, ab humero autem versùs laeuam feratur . Etenim cum ea sit loco militis, pingi debet ; quo situ miles ipse, cum hoste, antrorsum aut retrorsum, congrederetur .

In vexillis, versùs hastam eorum semper delineabitur : motis enim castris, signifer dum graditur, cum hasta eadem secum pannum trahit ; & incedere, agmine consentaneo castris ipsis, figuram vexillorum decet .

In lecti stragulo, dexteram dabit forma hominis in eo decumbentis : in toralibus lecti autem, forma hominis, qui ibidem adstet .

In conopæi auleis, dexteram constituet forma hominis assidentis sub eo .

In velis prætensis ante cõclauium fores, dexterum latus pariter indicabit ,

cabit, forma hominis inde prodeuntis.

In belluatis peristromatis, patefaciet idem latus, forma hominis, de pariete prospectantis.

Sicubi tamen simulacrum, aut stemma Principis fuerit medio loco; tunc ab dextera læuaque, existimat Bartolus, icones omnes gentilium parmularum, eò conuerti debere.

In equi bellatoris linteo, seu pectorali, seu doruali, versus ipsius equi caput flectent obrutum, ab omni parte, icones tesserae.

At cum animantes duæ, dissimiles genere; exempli causa, molossus & leo, simul commisso vultu figurantur; leonem in alueoli semisse leuo, Bartolus ait esse collocandum, vt versus dexteram feratur; molossu autem in semisse dextero, vt feratur versus læuam: causamq. assertionis suæ illam adfert; quòd scilicet dextera sit nobilior pars, & principium motus.

An metallum in metallo esse, aut in colore color, rectè possint.

Cap. LXXXIII.



LEVISSE GODFRIDO BULLIONEO tesseram suam pangere, ex aureis & caracteribus & cruculis, in argentata scuti areola, existimat Bartholomæus Chasaneus; quia Rex erat, & supra leges. Philibertus Campanile, & Philibertus Monetius, id interpretantur esse factum eo consilio; vt quotquot rem ita inusitatam considerarent, ansam haberent inquirendi, vestigandiq. occasionem

eius; quò ita cerrius perennaret fama Hierosolymæ liberatæ. Vsq. adeò constitutum esse iudicâr, apud Feciales omnes; ne metallo metallum, & ne color colori superponatur.

Certè non defuerunt etiam Viri summæ nobilitatis, qui legis huius metu dixerim, an reuerentia? immutarunt auorum suorum signa. Ita cum Matthæus Montmorentius, ob excellentis prosapiæ suæ prerogatiuam & merita, diu argenteam decumanam Crucem, in scuti laterculo aureo gestasset: eã coniunctionem vtriusque metalli sustulerunt tandem potteri eius, & Crucem ex colore deinceps adamarunt.

Nihilominus stemmata satis multa reperio nobilissimarum familiaru, in quibus coloribus colores miscentur, & metallis metalla.

Nimirum in scuto ab latere dirempto, & supernè puniceo, infernè autem cyaneo, leo semi-cyaneus, semi-puniceus est **ADELSBACHIORVM** in *VVappenbuch.* Silesia.

Bos furui coloris, in cæsis scuti laterculo, est **AVLOCKHIORVM**. *Idem.*

Monoceros miniatus, in glauca scuti areola, est **BARBYORVM** in *Idem.* Marchia.

Leo purpuratus, in parmula luminis veneti, est **BEMDORFIORVM** *Idem.* in Milnia, & **BREDERODIORVM** *Marcus Gilbert.* in Belgio.

Cantherij duo miniati, in eiusdè luminis veneti alueolo, sunt **BREITENBACHIORVM** in *VVappenbuch.* Bauaria.

Fluuus argenteolus, loco fasciæ, manans in aurato scuti valuulo, est **BVRENIORVM** in *Idem.* Saxonia.

Leo sapphirinus, in parmula cynabari

Marcus Gilbert. nabari expicta, est CHASTELETIORVM in Gallia.

VVappenbuch. Apri capita duo furui coloris, cū interposita tænia punicea, in veneto scuti æquore, sunt DAMITZIORVM in Saxonia.

Idem. Homo syluestris ac ferus, ferto redimitus, & pro scipione arborem ferens, colore prasinus, in cyaneo scuti valuulo, est DRACHSDORFIORVM in Misnia.

Idem. Tessellæ gradiles nouem, dispositæ in quincuncem, & minio illusæ, in cærulæ scuti areola, sunt DREBERORVM in Vvestphalia.

Idem. Cornua duo sabulea, in miniato scuti solo, sunt GAFFRONIORVM in Silesia.

Idem. Cancer puniceus, ac pronus instar baltei dexter, in valuulo cyaneo, est GERGELASEORVM in Marchia.

Idem. Securis argentea, in semisse dextero aureoq. scuti ad perpendiculum dirempti; & altera securis aurea, in eius semisse læua argenteo, sūt GORLITZIORVM in Misnia.

Idem. Crux decussata & aurea, in solo metalli argenteoli, est GREFENIORVM item in Misnia.

Idem. Fascia coloris prasini, in muricata parmula, est GRVNBERGIORVM in Silesia.

Idem. Aquila metalli aurei, in aruo alterius metalli, est HARDECKIORVM in Imperio.

Idem. Herma Mauritanica, liberaliter aurita, & omnino atra, in blatteo scuti laterculo, est HORDENIORVM in Saxonia.

Idem. Scala punicea, & obliqua instar baltei, in cæruleo clypei tesslerarij solo, est KRATZENIORVM in Franconia.

Folia tria aurata, ex caule pro-

deuntia, intra parmulam argento illusam, sunt KVNNOVIDTIORVM *Idem.* in Marchia.

Lampades tres nigellæ, cū lychno accenso, in scuti valuulo coccineo, sunt LAMPENIORVM in Saxonia. *Idem.*

Aureus leo, in argæteo scuti aluulo, est MOLEDIERORVM in Gallia. *Marcus Gilbert.*

Balteus aureus, in argentea scuti areola, est NITZSCHVVITZIORVM in Misnia. *VVappenbuch.*

Leo atratus, sed auro cōpunctus, in parmula virenti, est familiæ PRADO in Hispania. *Consal. Argote.*

Aquila semi-atra, in dextero semisse puniceo, scuti ab summo intersecti, ac semi-punicea, in semisse læuo atro, est RADENHAVSENIORVM in Brunsvvigia. *VVappenbuch.*

Grus aurei metalli, in argenteo scuti solo, est REUSENIORVM in Imperio. *Idem.*

Arbores abscissæ, cum exsectis ramalibus, flexæq. in læuam instar baltei, & ambæ omnino atræ, in cæsia parmula, sunt TAVBADELIORVM in Misnia. *Idem.*

Mauri nigrum caput, in miniato scuti laterculo, est TSCHETERVVITZIORVM in Silesia. *Idem.*

Cadi aurei tres, in parmulæ aruo argenteolo, sunt VOHENSTEINIORVM in Sueuia. *Idem.*

Lunulæ tres puniceæ, sibiq. omnes obuersæ, in glauco scuti valuulo, sunt VVALDAVVIORVM in Silesia. *Idem.*

Cornu coccineum, in semisse dextero atro, scuti directè abscissi, & alterum cornu atrum, in læuo semisse coccineo, sunt ZIMMERORVM in Misnia. *Idem.*

Velle has tesseras gentilitias, & plures alias, quas aut descripsi suo loco,

loeo, aut iam omitto, ne nimius in earum censu videar: velle inquam eas vitij arguere, aut eradere ex albo veræ nobilitatis, quàm iniuriosum, & simul periculolum id meritò existimaretur?

Abstineri fateor, in Italia præsertim, in Gallia, in Hispania, in Britannia, Belgioq. ab huiusmodi, seu colorum, seu metallorū miscellaneo vlu: & insinuavi propterea, lemniscos coloratos, si in colorata else area debeant, muniri metalli laciniolis, quasi fimbrijs: vt metallū intercedere, substerni, atque impedire contactum eorum vetitum videatur.

Perinde aurea catena, instar limbi deiuncti, circūducta in aruo scuti argenteolo, ne duo metalla se mutuò tangant, suppositum habet balteum coloratum, in gentilitia icone familiae ZVNIGAE in Hispania.

Alfonso Lopez.

Excusari etiam potest manipulus frumenti aureus, balteo argenteo incumbens, in Regum duorum sanè illustri tessera, videlicet POLONI & GOTHI: quia partes eius manipuli, extremæ saltem, sunt supra ostium areæ coloratæ.

VVappenbuch.

Idem iudicium esto, de puniceo leone, in parmula ex latere dirempta, & supernè argentea, infernè cyanea; quia saltem dimidius insidet metallo: quod habuit schema

Andreas de Ryet.

GUIDO PAPPENHEIVS.
Ne multis, excusantur pariter aurei Byzantini nūmi, partim in cyaneis, partim in argenteis tēnijs distributi: quia saltem eorum aliqui sunt in eisdem tēnijs coloratis: quæ symbolica tessera est MICHAELIORVM Venetijs.

M. S. ex Musæis Romanis.

Alioquin duri profectò iudices illi viderentur; qui censura in isthęc esse animaduertendum, existimarent.

Ceterùm satis est res comperta; in parmulis colore simul ac metallo, seu virgatis, seu scutulatis, rectè iconem totam exarari posse, aut ex colore, aut ex metallo.

Minores typos quoque, aut in ipsa icone principali, aut circa eā pingi, nunc metallicos in metallo, nunc in colore coloratos; haud id ferent iniquiùs Feciales. Vti leonem argenteum inuri aureis, seu nummulis, seu cruculis, in areola cyanea; aut in hac, circa eum leonem rutilare stellam, seu lunulam puniceam.

De guttatis autem tigillis, clabula, stamine, aut notis alijs, frangentibus solidam scuti gloriam; atque adeo de animantium rostris, cruribus, falculis, lingua, dentibus, cornibus, loris, lacinijs, coronis, & numellis, dubitari non potest; quin ex metallo supra metallum, & supra colorem ex colore pingi queant. Quippe haud refert magnoperè; leonem ex ostro, habere vngues & linguam ex auro, & insistere areæ argento illusç: quia vngues & lingua sūt modicæ iconis totius partes: & satis est ceteroqui hanc esse in metallo, quando ex colore pingitur; aut secus esse in colore, quando delineatur ex metallo.

Nō illud omiserim hoc loco, ianthinum colorem ea prærogatiua esse apud Feciales Galliar; vt vices obeat metalli (quemadmodum insinuavi aliàs) quando est in area, lita lumine alicuius alterius coloris. Quocirca Philibertus Monetius ait; receptas ab eis fuisse, veluti nobiles tesseræ,

In præxi rei tessera

teras, tum fascias ianthinas tres GASTÉORVM; tum ianthinum cantheriū GENOSIAE gentis, in scuti alueolo cyaneo.

Generatim vniuersèq. vt dicam quid videatur sentiendum esse, de hac lege tam præcipua Fecialium, lata videlicet suffragatione communi, & frequentissimis comitijs. Aut ea existimari debet Nationum & Regnorum peculiare decretum, ibi obtinens legis vim, vbi sit ritè promulgatum, atque etiam vsu receptum. Aut si lex est vniuersalis: cur pati nõnunquam exceptionem nequeat: si quidem eam patiuntur leges quoque alia grauiore ac sanctiores, nullo id penitus prohibente, quantumuis severo Legislatore?

Quid statuendum sit, de aliquot alijs Legibus Fecialium?

Cap. LXXXIV.



VASDAM Fecialium leges, dum occasio fuit, exposui toto hoc Volumine: aliquas etiam modò in calce Operis sum protequutus: neque tamen desunt adhuc alia. Ea sunt;

I. Vt si animantes duæ aduersæ fuerint, & cum area bipartita iubar variant coloris ac metalli, constituatur in læuo semisse colorato, quæ est metallica, quò ita dignior figura dextrorsum feratur; & quæ est colorata, sit in semisse læuo metallico. Ideo laudat Philibertus Campanile, in gentilitia parmula familiae TRARRAE ita dispositos dracones duos, aureum alterum, & alterum sabuleum.

II. Vt figuræ tesserae, solum seu aream nõ tangant, in parmula ima cuspede: sed suomet hæreant libramento.

III. Vt non sint imbelles, ignauæ, expertesq. significationis Heroicæ.

IV. Vt pingantur eo corporis nisu, in quo maximè robur innatum exferere videantur.

V. Vt facessant humanæ figuræ: solæq. admittantur, aut hermae Mauritanicæ, aut partes alia corporis humani.

VI. Vt quando sunt plures typi, & numerum habent, pauciores sint semper in ima, quàm in supera scuti regione.

VII. Vt aquilulæ ac merulæ sint apedes & absque rostris: sed aquilæ ipsæ, atque aues maiores, sint crurita, sint rostrata.

VIII. Vt figuræ tesserarum, cum suismet familijs non sint cognomines: quæ vulgus appellat *arma cantantia*.

Verbo expediam: leges hæc Fecialium, cum exigui sint momenti, latè videri possunt minoribus rogationibus: ideo minus piaculum fuerit, eis non obtemperare. Quæ sunt inductæ, aut consuetudine aut consensu Nationum; eæ retineantur ibi, vbi earum auctoritas viget. Alibi nõ sit pudor aut metus ab eis resilire: si præsertim veri Nobiles aliter tesseræ suas, ibidem delineauerint.

Videlicet Feciales ipsi de multis ambigunt, ac certant. Exempli causa, est qui solos aureos orbiculos appellet Byzantinos nummos; argenteos verò laminas vocet; nec orbiculos alios coloratos semper, seu pla-

centas, seu liba nominet. Atqui repugnant ceteri, ferme communi suffragio.

Est qui neget etiam; leones ac feras debere obliquè pingi; plenoque vultu solos exarari leopardos. At tamen alij hoc vtrumque, & probant, & præscribunt.

Cum igitur hæc ita se habeant; licere putem, quidquid veri Nobiles, pro tessera honoris, & pro symbolo extulerint profapie suæ.

Quod insinuavi ultimo loco, de consonis typis cognomento ipsorum Nobilium, adeo non debet admitti; nempe expungendos eos esse ex honoraria gentilitiarum parmularum classe; vt potius existimandi sint typi maximè consentanei verè nobilitati.

Est in hac mecum sententia Marcus Gilbertus Deuarennius, cuius auctoritas meretur suffragij prærogatiuam, quia Scriptor Gallicus est: etenim in Gallia ea lex potissimum circumferri vulgò solet. Is ante omnia huius controuersie verum exponit sensum: nam *arma*, inquit, *quæ dicuntur loqui, sunt figure tesserarum, quibus idem est nomen, atque ei, qui vitur illis in clypeo suo gentilitio*. Atq; in hac propria significatione dabo equidem, apud quasque nationes, nobilissimos typos, familijs cognomines: & quis eos audeat exaurare, ac delere ex Senatu verè nobilitatis?

Romæ peculiariter eiusmodi signa hæc familie habent; ANGVILLARA anguillulas duas.

BISCHA colubrum; bubali caput BVBALI & BVBALINI.

CAPO DE FERRO caput bonis

ferreum; CASTANEI castaneam; castellum; CASTELLI; CELSI cellum arborem; columnam COLUMNI; & CRIVELLI cribrū.

DELPHINI delphinulos duos; draconem familia DEL DRAGO.

Aedem lacram familia ab ECCLESIA.

FRANGIPANES panem similigineum, & frangentes eum leunculos geminos.

GRIFFI gryphem.

Lupam, & lupulos tres, LUPARELLI.

MALARRANCA leonis pedem, cum unguibus exsertis; & MONTORIMONTICULOS sex.

PALOMBARA palumbulū; leonem tessellatū PERLEONES; PERETTI pyrum arreptum leonis unguibus; PORCARI porcellulum.

SANCTA CRUCE Crucem semi-auream; semi-puniceam.

Turres quinas, in quincuncem distributas, familia TORRES.

Vitulos duos, aureum alterum, & alterum cyaneum, VITELLESCHI.

Extra Urbem verò, sed in Italia, pingunt in stemmate suo.

ALCIATI alcem; & arcus tres familia AB ARCV.

CASTANEI castaneam; ceruum CERVINI; cicadulam CICALAE, cornum arborem CORNEI; & COSAE humanam coxendicem.

Moticulos tres familia à MONTE.

Oleam arbusculā familia OLIVA.

PVTEI puteum, & circa eum dracones duos prasinus.

Robur arborem familia à RUVVERE.

Sorbum item arborem SORBELONI; & SPINOLAE cadi vinarij epistomiolum.

Armes parlantes, figures d'armes, qui ont le mesme nom, que celuy, qui s'en sert, dans son escu.

TURRIANI turrem.
In Germania deinde **BEERNEI**,
BERNFELSII, & **BERNSTATII**
vrsum, in gentilitia sua icone ha-
bent.

COLVMNII Columnam.
DRACKENFELDTII draconē,
FUCHSENI vulpem.
GREIFFENII gryphem.
HELPHENSTEINII elephantem;
& **HIRSCHHORNEI** ceruina cor-
nua.

KARPFENII leonem & rupem.
SALMII salmones duos: **SON-
NENBERGII** solem ex iugo mon-
tis exorientem, speculum familia
SPIEGEL; & **STERNFELSII** stel-
lulam.

TEVFFELII malum Genium;
& **THURNII** turrem.

VVOLFFEMII, **VVOLFFERS-
DORFII**, **VVOLFFII**, & **VVOLFF-
FVRTII** lupum.

Non desunt in Hispania etiam,
qui eiusmodi typos, in clypeis suis
tesserarijs figurent.

Vti aculeos, seu cuspides, familia
ACVNNA.

Carduos tres familia **CARDONA**;
CABRERA capellam; & castellu-
lum **CASTILLA**.

GRANADA malogranatum.
Lunam tesselatam familia **LVNA**.
PADILLA sartagine tres; fe-
stucas paleæ tres **PAILLAS**; & Pa-
schalem agnum familia **PASQVALE**.
Solem familia **SOLIS**.

TORRES turrem; & animantem
sibi cognominem familia **TASSIS**.

ZAPATA calceos quinos tessel-
tos.

At plures multo adhuc inuenire
sit, inter tesseras honorarias Gallorū.

Nempe balistas tres habet familia
ARBALESTE.

BARII pisces barbatulos duos;
& manus tres ferro munitas familia
BRASDEFER.

CHABOTII fluuiatiles cephalos;
& **CREQVY** lychnitem arborem.
ESPEIGNEI pectinem argenteum.
FRETARTII cancellulos tesser-
arios, seu parmulam clatris irretitam.

HAYESII sepem; **HERSII** Q
fores Urbium cancellatas.

IOVRII auroram, seu exorien-
tem diem.

Leonem familia **DV LION**; &
lymaces familia **LIMAGVE**.

MAILLART, **MAILLY**, & **MARTELLI**
mallulos; merulas verò familia **DV
MERLE**; & **MONPESATII** bilan-
cem.

Pontem **PONBRIANTII**.
Salices tres familia **SAVLSAYE**.
TRENCELEONII demum en-
sem supra leonem, quasi eum sit cæ-
sim perempturus.

In Regno etiam magnæ Britan-
niæ, **BOLLENA** familia, in scuto
suo symbolico, habet bouis, seu tau-
ri capita.

FERARSII ferréas equorum so-
leas.

LVCI pisces eiusdem nominis;
& **LVPII** caput eiusdem feræ.

Frumenti manipulos tres **SEAF-
FESLDII**.

Ex hoc veluti consensu Nationum
conijcere sit, an admittere oporteat
illud, quod vulgò tantum circum-
fertur, de typis tesserarijs, consonis
cognomento familiarū; nempe no-
biles eos existimari non debere. Imò
quia magis conferunt, vt innotescat
genus eorum, qui symbolis ijs vtun-

tur, quippe simul figura, simul vocabulo expressum: videtur potius Marco Gilberto Deuarenno ea vtriusque expressionis consensio indicare, atque arguere maiorem nobilitatem.

Quae nam diuersitas horum signorum sufficiat, ad discrimen familiarum. Cap. LXXXV.



M vel minimum discrepant typi tessera-rij; censetur esse id abundè; vt possint inter se familiarum discriminari: & multò id certius euenit: dū variat totum iubar, aut coloris, aut metalli, siue in figura ipsa, siue in alio colore parmulæ gentilitiæ.

Vt si crepundia de cruce accipitris vnus pendeant; ijsue careat crux alterius accipitris.

Si auium rostra, crura, vngues; si leonum dentes, falcule, lingua, & cauda; si taurorum cornua; si numellæ canum, ex dissimili fuerint, aut colore, aut metallo.

Item si flos aliquis appareat explicatior; alius ex calice primùm erumpat. Si quæ etiam arbor, aut cum sola frondium veste, aut cum gaudio florum, aut cum pomorum vbertate pingatur.

Si præterea vnus cerui cornua dactilis pluribus, & alterius cornua dactilis paucioribus asperentur.

Imò si (dum omnia congruunt, tam in icone ipsa, quàm in eius area) situs dumtaxat eiusdem iconis fuerit diuersus.

Addo insuper, si diuersa fuerint sola eiusdem iconis nomina: quo pa-

cto existimat Bartholomæus Chastaneus, esse dissimiles eas gentilitias tesseras; in quibus videatur caput suis aut bouis: si in vna esse dicatur caput suis aut bouis maris, & in altera esse caput eius alterutrius animantis fœminæ. Narrat verò lepidam historiolum rixæ obortæ, inter nobiles duos Gallum & Ligurum, quasi alter alteri auita insignia surripuisset; ac mox negotio facili diremptæ: dum vnus pro tessera bouis caput, & vaccæ caput alter affirmaret dudum se à maioribus accepisse. Quæ responsio duelli occasionem sustulit: nec eo die bos & vacca inuicem conflixerunt.

Operis totius censura & repurgatio, cum excusatione aliqua etiam Auctoris. Cap. LXXXVI.



ONSCIUS iam & reus multorū, seu quæ commisi perperam, seu quæ omisi; ex quo videlicet Opus, excusum hactenus, euolui ego-met, atque æstimavi singula; non possum ea nunc dissimulare, ac sine castigatione vel excusatione saltem præterire. Facio id verò certus de venia vel ideo; quia mihi persuadeo, causam me apud nobiles Viros dicere, quibus hæc potissimùm scripsi; hoc est apud eos, qui cum excellant claritate generis, aut etiam dignitate, solent excellere adhuc magis humanitate. Perpendent ijdem forsitan sponte sua; tesseras referri numero magno, ac fore ideo excusabilius, interdum erasse. Leuius certè videtur, quòd in longa vel Iliade, vel Odissea.


Quan-

Quandoq. bonus dormitat Homerus. quàm si deprehenderetur identidem in perbreui poemate dormiturire. Varietas præterea rerum & dissimilium, & quæ prodeunt sæpenuerò instructæ peregrino cultu, ac veluti personatæ, promeretur adhuc magis; ut debeant, quæ subinde peccauerim condonari: præsertim quia voluntas non fuit, ut ita scriberem; sed facultas defuit aliter scribendi. Etenim haud semper promptum est, singula ex fontibus suis haurire; atque ubi non suppetunt codices necessarii, vel tabulæ; statim adire regiones, vrbes, domos, omniaq. perlustrare.

Imprimis dum tesserae figurantur ac referuntur, desiderantur interdum coronulæ volucrum & ferarum, limbi, laciniolæ pensiles, clabulæ, scutula insititia, & signa etiam socialia Guelphorum ac Gibellinorum. Nimirum hæc omnia suo loco describenda erant ac delineanda; ut proinde mihi persuaserim, ea inde peti posse, ac fore interim abundè, si de istidem solùm in textu meminissem. In vna officina non cuduntur, non parantur omnia, quæ aut ad nauim, aut ad domum construendam necessaria sunt.


Sæpenuerò, quia efferunt plures familiæ insignia eadem; quando hæc modico distinguuntur additamento, illud omisi, ratus nullo negotio, absque alia scuti cetera similis delineatione, intelligi posse. Et profectò egrè aut vix occurrent aliqua, quorum nõ sint propria saltem alibi paradigmata. Certè duo tantùm obuenerunt, mihi æstimanti hæc magis à cura, quæ possent iconem propriam desiderare; ut de discrimine istiusmodi constaret clariùs.

Dixi PALAVICINORVM Genuæ idem esse gẽtilitium stemma, atque est ibidem GENTILIVM; nempe orthogonias tessellas quatuor cyaneas, & quinque aureas: nisi quod habeant illi præterea, in scutario apice argenteo trabeculã nigellã, abscissã, & vtrimque pinnatam. Hæc dissimilis est quidem, segmento inferiùs dumtaxat plurifariam guttato; at peti saltem poterat eius descriptio ex tesseris pinnulatis.



Nihilominus par est, ut iã tota prodeat tesseraria icon eorundem PALAVICINORVM.

Dixeram perinde, symbolicũ schema ESTAMPEORVM in Gallia, esse puniceam lunulam, sitam in coeũte vtraque cuspide pinnularum duarũ acutarum, quæ instar cantherij aurei inclinantur iungunturq. intra cæsiã scuti areolam, cum eius argenteo apice, puniceis coronis tribus iusto.




Subjicio iam oculis figuram ipsam, ut id melius intelligatur.

Ad hæc fateor, desiderari tesseras gentilitias compositas, hoc est seu in semisses, seu in tetrantes, seu in plures nidulos alveoli distributas. Verum has etiam prosequi consiliū non fuit; cum simplices parmulas dumtaxat explicare, pro methodo à me instituta, iuxta diuersas classes earum debuerim.

Alioquin haud omissem duplas parmulas aliquot præcipuas, uti COLVMNIAM & TOMACELLAM; BURGHESIAM & VRSINAM; CAESARINAM & GAETANAM: nam intra semisses valuuli scutarij suam Coniuges tesseram utramque Romæ iungunt ac veluti maritant. Sed has tamen singulas seorsim proposui, uti res ferebat; & pace coniugum, inter ipsas diuortium innocens feci.


Parmulas etiam quadrifariam diremptas propterea omisi: cuiusmodi satis multæ, eæque nobilissimæ mihi ceteroqui suppetere potuissent.



Uti areæ tetrâtes primus vltimusq. punicei, cum sublicis aureis quaternis, ac tetrantes alij duo cyanei, limboq. argenteo denticulato prætextati, cum tribus aureis vasis anchoratis supernè, atque internè laxiùs pedatis; quæ est gentilitia icon REQVESENSIVM in Regno Siciliae.

Gallicè. Roes.

M. S. ex musæo Romanis.




Aut in terrante primo vltimoque cyaneo, argenteus leporarius canis, supra metalli eiusdem basim assidens, atque suspiciens auream stellulam: & in tetrantibus aliis baltei tres argentei, ac totidem cyanei: quod stemma est familiae TAVERNAE Mediolani.

Alphonso Ciarcomis.


Sed enim has ego, & quacumque alias id genus parmulas quadripartitas, debuissim pro instituti mei ratione rursus singulares facere; & cum sint familiarum diuersarum, debuissim

sem

fem etiam suas cuius tribuere: id ve-
rò & operosum fuisse, & obnoxium
periculo errandi.




Exemplum statuo in hac gentilitia
icone FRANCISCI MARIAE CAR-
DINALIS A MONTE: erat is ex
MARCHIONIBVS SANCTAE MARIAE,



quorum vetus & nobilissimū stem-
ma continet dumtaxat aurea tria li-
lia Gallica, in cyaneo scuti alueolo,
cum adiecto eis vecte puniceo. Quis
absque interprete conijciat: cur signo
sui generis, & leonem, & malleolos
tres Cardinalis ipse adiunxerit?

COMITES DE THONN, in
Germania nobilissimi, perinde iam
alios typos tesserarios adpingunt an-
tiquæ suæ iconi gentilitiæ.




quæ ita refertur inter stemmata gen-
tilitia Nobiliū Germanorum; nemi-
pe cum balteo aureo, in tetrante pri-
mo vltimoq; caruleo, & cum aquila
dimidia punicea, in argenteo semise
dextero, secundi ac tertij tetrantis,
cuius vtriusque lauo in semise atro,
fascia inest argentei metalli.

VVappenbuch.

Cum hæc itaque difficultates obo-
riantur, exculabunt me BORROMÆI,
MADRUCII, MALASPINAE, & complū-
res alii, oriundi è stirpe auita & ge-
nerosa; si prætermiserim ideo eorum
tesseras; in quas videlicet confluere
decora satis multa, itam ipsis est ho-
norificum; vt vix aliquid eis possit ac-
cedere, ex quantulacumque commemo-
ratione ipsorum; in recensione
tesserarum huius Voluminis mei.

Haud tamen propterea dehortor
eos, qui retinentissimi sunt stemma-
tis sui primigenii; & gaudent eius
ornatu simplici; quasi velim, perinde
ipso typis aduentitiis cumulare ac
stipare auitam tesseram. Habet suam
grauitatem dignitatemq; cultus an-
tiquior, etsi minus diues:



M. S. ex Musaeis
Romanis.

ut in parmula metallo argenteo illusa, balteus duplex exilior & puniceus: quod schema est in Anconitana Vrbe familig FERRETTAE. atque idem iudicium esto de parmula alijs symbolicis, solum demulcatis, aut scutulatis.

Venio iam ad ea, quae retractari à me oporteat; & primo loco, ex quadam honoris prerogativa debet equidem allerere in pristinam suam dignitatem stemma PRAEFECTI ALMAE VRBIS. In codice manuscripto, ceteroqui latis fido atque accurately, inter gentilitias tesseras alias complures, aquilam argenteam videram, diademata, & cum rosa in pectore eius; circa ipsam verò, sex veluti aurei nummi Byzantini erant in scuti alveolo cyaneo. Inscribebatur autem Italicè, DELLA PREFETTURA. Credidi vnus familiae iconem esse, uti erant tesserae aliae eiusdem codicis; ea tamen est icon publici atque honoratissimi magistratus.

pag. 414.

Restituo eadem hoc loco, & repono cum schemate adhuc insigniore, sed suo: nempe cum purpura ei substracta, in parmulae solo seu area: cum rosa, cuius frondentem ramulum pede altero attinet; & cum panibus aliquot similaginis, circa eam distributis.

Didici hoc primum ab Illustrissimo atque Excellentissimo Urbis Praefecto THADAEO BARBERINO; cuius utique proprium est, ornamenta sua mereri pariter ac scire; deditque occasionem



Sigil-

Sigillum hoc vetus Romanæ Præfecturæ; quod cum venerit fortè ad manus meas, obtuli ei statim, auens intelligere ac discere, cur ei aquilæ antedictæ icon subijceretur.

Volupe fuit, cum altero æneo sigillo perantiquo id conferte, ita sculpto, ita inscripto; nisi quod Præfectus alius in eo asideat, & IORIS nominetur.

Rosa donari à Pontifice Maximo Præfectus solebat; quod die fit eiusdem rosæ, inter mysteria sacra, Romæ inauguratio; eamque cum equitatu & pompa referebat. Cum ipse verò rosam eam gestet; interpretor id causæ fuisse, cur eadem careat aquila, quæ spectatur in tessera vtriusque sigilli, IOANNIS videlicet, ac IORIS.

Alioquin hæc aquila tesseraria Præfecti Urbis figurabatur passim cum rosa; nec aliter etiam nunc Viterbij apparet, quater sculpta in marmoreo sepulcro, quod ita inscribitur. *Hic nobilis Viri Petri de Vico Præfecti Romani, ac nonnullorum etiam, eisdem natalibus & dignitate insignium, corpora condita iacent.*

Sed panes similaginei; tum in vitroque IOANNIS & IORIS sigillo; tum in hoc tumulo Petri de Vico; tum in tumulo altero Briobris, filij Ioannis Præfecti; tum alibi passim circa eam aquilam spectantur: monumentum videlicet tributi, quod ex ijs panibus quotidie pistorum Ciuitatis Romanæ Præfecto singuli conferebant.

Quo ad alia dein errata; generatim illud insinuauerim: quædam in textu menda irrepisse, quæ corriguntur beneficio ipsius figuræ: nam uti hæc typis iam impressis aduentitia est; aduenit etiã magis meditata.

Ita in descriptione parmularum gentilitiæ PAMPHILIORVM, & familiæ SPADAE, auratis lilijs additur trifida laciniola; figura tamen eo additamento caret.

Aliquando prepostera est dispositio, inter colores & metalla. Ita scutum symbolicum TALLEIMORVM dici deberet ex pictum luminibus argenteolis & furuis; non autem furuis & argenteolis.

Præterea nunc vnum metallum est loco metalli alterius; & nunc vnus color loco est alterius coloris.

Nempe in gentili clypeo BARZENIORVM, Byzantini nummi aurei dicuntur: & dicuntur clauæ aureæ in stemmate MVTORVM; cum sint ex argento.

In scuto autem BVADIORVM, TAGLIAVIAE familiæ, BRANCEVILLEORVM, atque in regia GALLIAR tessera fit mentio areæ smaragdinae; cum ea sit sapphirina. In stemmate item VOLSTEDTIORVM, VVEITERSIORVM, & VVITERNORVM, dicitur ima eius regio punicea; cum sit atra. Puniceus item dicitur limbus LACORVM cum sit cyaneus.

Sæpenumero, nunc areæ, nunc figuræ, aut color, aut metallum non exprimuntur in textu; sed enim in parmula saltem delineantur.

Quin etiam numerus interdum discrepat: uti cum trijugæ institæ BOVRBOVRGIORVM, & FOVILLOYORVM ex auro bis exarata dicuntur; exarantur ea tamen tertio in figura ipsa. Aut cum in gentilitia icone familiæ CALVAE, denis versibus dicuntur distribui furuæ, atque argenteæ tessellæ: quæ apparent distributæ dumtaxat versibus octonis.

pag. 438. & 529.

pag. 92.

pag. 235.

pag. 355.

pag. 509.

pag. 575.

pag. 537.

pag. 85.

pag. 587.

pag. 212.

pag. 201.

pag. 355.

Peculiariter gryphes, aliqui Fecialium, ut dixi, arbitrantur pingi debere; ita ut caudæ illorum humi repant, posticis implexæ tibijs. Eos ego tamen malui aliter delineari; utpote quos deprehendi passim, intra complures nobilissimas tesseræ (cum sint mediâ parte leones) surrigere caudas etiam, leonum instar.

pag. 387.

pag. 388.

pag. 389.


Secus buccinas venatorias, fateor, debuissim iubere ita sculpi, ut cum deinde imprimebantur, viderentur versus dexteram inflari. Quamquam in ea re sculptoris manum dirigere ars & mens eius potuissent.

Hic autem obiter etiam Chalco-graphi debeo accusare mentem & manum; sicubi tessera imprimantur ordine peruerso. Inscripti enim ego singulas & pagina & numero: nec possum adesse, dum eas collocat, & prælo vrget. Saltem eæ semper in propria erunt pagina; & prudens Lector ab ipso textu admonebitur, instrueturq; vbi nam debuissent singulæ collocari.

Ne me ideo tamen à culpa videar omnino eximere: subijcio quædã alia, in quibus ego-met videlicet deliqui.

pag. 63.

Tesseram puram aureamq; solis MENSIS tribuere in Hispania, non autem familiæ MAIORCHAE debuissim.




Familiæ MASCAREGNÆ sunt insitæ aureæ tres, in scuti valvulo muricato: non autem secus muricatæ insitæ ipsæ, in aureo eo valvulo.

pag. 106.

In Saxonæ parmula debent insitæ ex auro atque atramento esse; nõ verò ex atramento simul, atque ex argëto.

pag. 130.



Auream bicipitem aquilam, in purpureo scuti alveolo, cum sit augusta tessera Imperij Orientalis, LASCARIS debuissim assignare; monumentum eiusdem Imperij, quo aliquando est potita eorũ familia. Ut proinde ipsi iam illã retineant simul cum tessera VINTIMILIAE: nã hæc postea ditio hereditaria ipsorũ fuit.


pag. 402.

Eandẽ tamen CARAVASCHINIS perperam assignavi: ex quibus habet maternum genus, IOANNES PAVLVS LASCARVS, Magnus Præses Equestris Ordinis Hierosolymitani.




Est nimirum horum stemma argenteus Ponticus mus, in disco prasino, supra scuti valuulum ex transuerso diremptum, & ostro supernè, infernè auro illusum.

Ad hæc baltei auibus ac feris imponi solent perpetui, & arcem extremam attingere.



Vti purpureus balteus, supra leonem aureum, cum exserta lingua item purpurea, in cyanei luminis. alueolo: quæ tessera est RAGGIORVM Genuæ.




pag. 414.

Ideo ego aquilæ furuæ, in lutea parmula expictæ, quam dixi esse DONGHIORVM, balteum perpetuum argenteum adpinxi: quæ tamen balteum breuem, in pectore suo dumtaxat, videtur more militari quodammodo præferre.


Tesseram insuper familiæ MIGNANELLAE proposui, quasi sexiès auro & petasis cyaneis lemniscatam: qualem vtique inter Cardinalium icones gentilitias videram.

pag. 280.



Sed iam repono eam, cum infusis potius maioribus guttis vel vndis, argento atque atramento expressis.

Vereor tamen, ne in istiusmodi tesseris frequenter error sit; & vitio pictorum, abeant subinde in formas rerum alias.



Ita in huius gentilitiæ parmulæ priore semilse cyaneo, argentea est cerua, & tres iuxtà eam sagittæ; insigne nimirum familiæ CIANTAE, Pisis oriundæ: In altero semilse muricato, sunt baltei duo argentei, & in singulis eorum vrnulæ tres cyaneæ,

O o o o 2 stem-


stemma videlicet familiae à CITHARA, quæ fuit Romæ perantiqua, & ex qua maternum illi genus iam habent.

At in præcis monumentis video, non vrnulas quidem, sed inuertos petalos tesserarios figurari.

Ceterum vt vela contraham, & defunctus sanè ardua navigatione, portum tandem aliquando teneam: plura multò sint; & quæ commisi perperam, & quæ omisi; deque singulis iam fuissem locutus, si eorum omnium gnarus essem.


Vt aperiam autem quod sentio; experior equidem; grauius me angit animo, causa eorum quæ omisi: quia optassem gratificari, atque obsecundare ijs omnibus, qui collatis ipsi etiam insignibus proprijs, ornamento esse Volumini huic meo voluissent.

Et vtinam ijdem sua contulissent singuli; admisissent, etiam dum operi iam admoueo supremam manum. Ne sit verò, qui hæc interpretetur dici à me officiosius, quàm veriùs; en hinc adijcio iconem gentilitiam VINCENTIORVM in Vrbe Reatina, mihi exhibitam, dum has lucubrations clauderem ac fermè obsignarem, à Tiberio Vincentio, Sanctissimi D.N. VRBANI VII. Intimo Cubiculario, & eius Cimeliarcha.




Est verò parmula supernè argentea, infernè aurea, cum prono, seu inuerto in ea cyaneo catherio, stellulis aureis quinque inusto, flammulaque punicea, ex cantherio emicante; atque in ima regione, cum nigro astronomico caractere, quo Castor & Pollux, Cæli lucida sydera, in signifero solis circulo exprimuntur.


Saltem quia optassem Aulam vniuersam, & Nobiles quosque Urbis Romanæ in codicem hunc transferre (etenim tot lumina ei quendam gloriæ, quasi diem, peperissent) cum hoc integrum non sit, properanti ad finem præsertim diu experitum, quod vnum superest ac lices; augustissimum S. R. E. Senatuum, atque huius temporis Magistratum Romanum postremò iam in tesseris proprijs ita colam; vt in eis simul colere cupiam alios quosuis, & Præfules Aulæ, & Nobiles Urbis.



Venerari primo loco debeo Apes aureas tres, in alveolo scuti sapphirino, stemma **VRBANI VIII. PONT. MAX. ac GENTIS BARBERINAE.**



Parmula quadrifariam dirempta, & in tetrante priore puniceo, cum argentea Cruce; in secundo tertioque, quater ostro & auro segmentata; in vltimo autem tetrante aureo, inusta exiliente prasino leunculo, cum tessera Imperii in fastigio supremo, est CAROLI PII Ferrarientis S. R. E. Cardinalis, & Portuensis Episcopi.




Brachium manicatum ex purpura, & circinum attinens manu compressa, in valuulo scuti aureo, cum ternis auratis lilijs, in scutario apice cyaneo, & cum subiecta eis instita punicea, est gentilitia icon **DOMINICI GYMNASII**, ex Castro Bononiensi, qui est Sacri Collegii Decanus Cardinalis, atque Episcopus Ostiensis.




Argentæ aquilæ tres, atque omnes diadematae, in scuti area cinnabari expicta, sunt **MARCELLI LANTES Romani, S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Tusculani.**




Lunulae aureae tres, in muricata parmula, cum eius prætexta, ex apicibus muricatis aureisque, sunt **PETRI PAULI CRESCENTII** Romani, S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Prænестini, atque Vrbeuetani.




Cyanea parmula, cum trimontio aureo in ima eius regione, atque in sede honoris, cum fibulato loro, seu cingulo nigello; in supremo apice autem, cum laciniola quadrifida punicea, inumbrante aurata tria lilia, est **F. FELICIS CENTINI** Asculani, Ordinis S. Francisci, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Sabinensis, & Maceratensis.




Secta in semisses parmula directè, aureaq. à dextris, cum boue punicea gradiente, ac limbo prasino, flammulis aureis inusto; à sinistris autem sexies auro & sabulo fasciata, est **GASPARIS BORGIAE** Hispani, S. R. E. Cardinalis, Albanensis Episcopi, & Ispalensis Archiepiscopi.



Aquila furui coloris, cum lingua, rostro, & cruribus miniatis, in area utroque metallo illuta, est **IANNETTINI AVRIAE** Genuensis, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi Panormitani.




Cantherij punicei tres, supra scuti aream, decies fasciis argenteis & puniceis lemniscatam, sunt FRANCISCI ROCHEVOULTII Galli, S. R. E. Cardinalis.



Seeta ex angulo dextero, partitione diagonia, & nigra supernè, infernè autem argentea parmula, est ALOYSII CAPPONII Florentini, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi Rauennatis.



Arbor prasina, prominens ex colibus senis aureis, cum aduersis & erectis tauris geminis, altero aureo, atque altero puniceo, in cærulea scuti areola, est F. AVGVSTINI GALAMINII Bresighellensis, S. R. E. Cardinalis, atque Episcopi Auximani.




Parmula dispertita in tetrantes, in quorum primo aureo, est lupi caput atrum: in altero perinde aureo est balteus eiusdem coloris: in tertio item aureo sunt gradiles lupi duo punicei, atque in vltimo eiusdem metalli stellulæ quinque cyanæ, est icon gentilitia BALTHASARIS SANDOVALIS Hispani, S. R. E. Cardinalis.




Leunculi duo ex ostro, qui rotam attinent & auiculam concolorem, in apice scutario argenteo, cum subiecta eis instita smaragdini coloris, & ima


ima leuti regione, senis balteis aureis
& puniceis exarata, sunt IULII SA-
BELLI Romani, S. R. E. Cardinalis
Archiepiscopi Salernitani.




Aquila nigella, insistens cyaneo
cantheriolo, & repetita in primo at-
que ultimo aureo tetrante: cum stel-
lulis quinque aureis, & media earum
caudata, in tetrantibus secundo &
tertio cyaneis, est tessera PETRI
CAMPOREI Mutinensis, S. R. E.
Cardinalis, & Cremonensis Episcopi.




Aurea Salamandra, in rogo ac-
cubans, intra imam cuspidem cęsę
scuti areolę, est FRANCISCI CEN-
NINI Senensis, S. R. E. Cardinalis,
Episcopi Faurentini.




Aquila pulli luminis, expicta in
nidulis duobus aureis, parmula qua-
drupartita, cum alijs duobus tetrantibus
obliquę lectis, auroq. & ostro
dentatis, est gentilitium stemma
GVIDONIS BENTIVOLI Ferrar-
iensis, S. R. E. Cardinalis.




Rosę puniceę duę, circa balteum
coloris veneti, ternis auratis lilijs
constitum, in alveolo argentei me-
talli, sunt IULII ROMAE Medio-
lanensis, S. R. E. Cardinalis, Episco-
pi Tiburtini.



Leporarius canis sapphirini coloris, assultans in scuti obliquè secti & argentei supera regione, cum regione ima eiusdem coloris, & cum Imperij telsera, in fastigio scutario, est F. DESIDERII SCAGLIAE, Cremonensis, S.R.E. Cardinalis.




Turriculæ aureæ quinque, in decussim traiectæ, intra muricatam parmulam, sunt COSMI TORRES Romani, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopi Montis Regalis.



Epistomiolum puniceum, supra institam triplici serie, ostro atque argento vermiculatam, in constrata metallo aureo parmula, est AUGUSTINI SPINOLAE Genuensis, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopi Compostellani.




Draco aureus dimidius, in conchyliato scuti alucolo, est FRANCISCI BONCOMPAGNI Romani, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopi Neapolitani.




Pppp Puni-


Punicei tres capreoli tesserarij, in argentea parmula, sunt **ARMANDI PLESSII RICHELIEV** Galli, S.R.E. Cardinalis.




Tripartita parmula, in modum trabæ scutariæ; in cuius supremo ac dextero triente cyaneo, florent aurata tria lilia; cum vacerris duabus puniceis, in læuo triente aureo; ac dracone itē aureo, in triente imo coloris prasini: atque insuper cum ambiente parmulam vniuersam limbo puniceo, octonis mutilis & aureis decussibus signato, est gentilitia icon **ALPHONSI A CUEVA** Hispani, S.R.E. Cardinalis.




Stemma **BARBERINORVM**, & in eius fastigio, pia Ordinis Capuccinorum tessera, est **F. ANTONI BARBERINI** Florentini, eiusdem Ordinis, & S.R.E. Cardinalis.




Iugarij baltei vndosi, colore veneto picti, in aureo primo, atque ultimo tetrante, parmulae quadrifariam diremptæ; cum aquila argentea & diademata, in tetrantibus alijs, eodem colore veneto illudis, sunt **ALOYSII GAETANI ROMANI**, S. R. E. Cardinalis.




Pennæ Struthiocameli argenteæ tres, prodeuntes ex nummo aureo Sulthanino, & cum earum apice reflexo, intra coloris punicei areolam, sunt **ERNESTI ADALBERTI AB HARRACH** Germani, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi Pragensis.




Gladij argentei tres, instructi aureis manubrijs, proniq. instar balteorum, in area ostro perfusa, cum scutaria coronide cyanea, in qua florent aurata tria liba, sunt BERNARDINI SPADAE Breughellensis, S. R. E. Cardinalis.




Scutum gentilitium, in dextero semisse quadripartitum, & ibidem cum tessera Hierosolymitana in primo eius tetrante; cū leone autem puniceo ita repetito in alijs tetrantibus; ut & supra institas argenteas cyaneasque; & supra aurum; & supra argentum asultare videatur: deinde in semisse lauo, partim cyano, & partim auro illustre; est FEDERICI CORNELII Veneti, S. R. E. Cardinalis, ac Venetiarum Patriarchæ.



Aduersi leones aurei, circa arborem eiusdem metalli, quæ recisis ramalibus inhæret collibus sex perinde aureis, in castii coloris parmula, cum lilijs aureis tribus, & rubro sigillo quadrifariam dentato, in coronide scutaria, sunt BERLINGERII GYPSII Bononiensis, S. R. E. Cardinalis.




Baltei tres nigelli, supra scuti alveolum argento illusum, sunt IULII SACCHETTI Florentini, S. R. E. Cardinalis.




Tessera familiae SPINOLAE à dextris, & à sinistris institæ puniceæ tres, ac totidem aureæ, sunt IOANNIS DOMINICI SPINOLAE Genuensis, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Mazariensis.



Argentea columbula, rostro effrensens oleæ ramusculum prasinum, in miniata scuti areola; cum ternis auratis liliis supernè, in apice scutario cyaneo, est IOANNIS BAPTISTAE PAMPILII Romani, S. R. E. Cardinalis



Colubra cyanea, columnæ argenteæ (cum basi tamen, fastigio, & diademate aureis) circumplicata; ac mordicè attinens infantulum puniceum, in huius coloris parmula, est LAELII BISCIAE Romani, S. R. E. Cardinalis.





Parmula obliquè quadripartita, auroque ac cyano expicta, est FRANCISCI BALNEO, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Reatini.





Argen-

Argentei catelli duo, erecti, numel-
lati, atque aduersi ambo, sideraq. au-
rea tria, in coronide scutaria valuuli
carulei, sunt FABRITII VEROSPIS
Romani, S.R.E. Cardinalis.




Muricati tres cantherij, in solo ar-
gentei metalli, sunt ALPHONSI LV-
DOVICI PLESSII RICHELIEU Galli,
S.R.E. Cardinalis.

Balteus imaragdini coloris, in al-
neolo scuti aureo, est AEGIDII CA-
RILLII ALBERNOTII Hispani,
S. R. E. Cardinalis.



Botrus purpureus, cum pampinis
prasinis, & cum tessera Imperij su-
perné, in parmula crocei nitoris, est
CYRIACI ROCCII Romani, S.R.E.
Cardinalis.

CruX ad scapos extremos patula,
& semi-punicea, semiq. aurea, intra
parmulam ab summo diremptram, &
partim auream, partim verò puni-
ceam, est ANTONII SANCTACRVCHII RO-
mani, S. R. E. Cardinalis, atque Ar-
chiepiscopi Vrbinatis.



Scutaria tessera, forma tereti, ar-
gento